ANALECTA HORATIANA GRAMMATICA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XVI MENSIS DECEMBRIS ANNI MDCCCLXXVIII
H. XII
IN PUBLICO DEFENDET
AUCTOR
OTTO LAUTENSACH
POMERANUS.

ADVERSARII ERUNT:
J. KUNZMANN, ORD. SOD. SEM. PHIL.
A. MAHLER, DR. PHIL.
H. MUELLER, CAND. PHIL.

STRALESUNDIAE
TYPIS FERDINANDI STRUCK
MDCCCLXXVIII.

ADOLFO KIESSLING

S.

Horatii in usum dicendi ac praecipue quidem in eum, qui pertinet ad attributa cum substantivis conjungenda, a Kiesslingio praeceptore spectatissimo admonitus accuratius postquam inquisivi: certas quasdam leges ac normas loquendi a poeta Venusino religiose observatas investigasse me arbitror. Hae observationes quoniam ab interpretibus et grammaticis plerumque neglectae ad recte explicandos haud paucos locos aliquantum conferre mihi videntur: sunt mea qualiacumque, jam in medium proferam.

I.

Utrique substantivorum, quae particulis cohaerent sive dissolute se excipiunt, suum attributum ac quidem vel adjectivum vel participium, non pronomen neque numerale neque genetivum si adjunxit Horatius: alterum vel utrumque tale attributum non sui substantivi proprium esse, sed utrumque simul attingere nusquam voluit. Immo vero quam constanter huic legi paruerit, ut utrique substantivo suum istius modi attributum redderet, ex largissima 154 locorum copia elucet, quorum Carmina exhibent 78, Epodi 19, Satirae 28, Epistulae 29; ac plurimis quidem locis, 70, utrumque attributum antecedit substantivum (A), paucissimis, 12, utrumque sequitur (B), 47 locis prius attributum antecedit substantivum, posterius sequitur (C), 25 prius sequitur, posterius antecedit (D).

Substantiva conjuncta sunt
particula

et. **A.** *C.* I 12, 41. *Hunc et incomptis Curium capillis*
Utilem bello tulit et Camillum
Saeva paupertas et avitus arto
Cum lare fundus.

C. I 29, 14 II 6, 10; 9, 18 III 1, 45; 4, 30; 8, 6; 24, 9; 21; 29, 2 IV 6, 13; 12, 5; 15, 13. *Ep.* 2, 19. 5, 37. 9, 21. 9, 33. 13, 13. 16, 41. *Sat.* II 2, 57; 4, 58. *Epp.* I 18, 54; 19, 49.

B. *C.* I 35, 25. *At volgus infidum et meretrix retro*
Periura cedit.

C. III 24, 2.

C. *C.* I 19, 7. *Urit grata protervitas*
Et voltus nimium lubricus adspici.

C. II 4, 15; 11, 1; 16, 9; 37 III 3, 18; 5, 50; 13, 11; 19, 22; 24, 25; 26, 9; 29, 9. *Ep.* 11, 20. *Epp.* I 7, 8; 16, 44 II 1, 187; 2, 60.

D. *C.* III 2, 23. *Coetusque volgares et udam*
Spernit humum fugiente penna.

C. III 23, 19. *Epp.* I 17, 54 II 2, 118.

que. **A.** *C.* I 1, 30. *me gelidum nemus*
Nympharumque leves cum Satyris chori
Secernunt populo.

C. I 7, 9; 12, 9; 17, 2; 27; 35, 19; 36, 7 II 1, 29; 5, 23; 11, 6; 14, 13; 18, 26 III 4, 42; 23, 15; 27, 26; 29, 13. *C. S.* 17. *Ep.* 16, 7. *Sat.* I 3, 80 II 2, 45; 6, 85. *Epp.* I 1, 43; 5, 4; 14, 32.

B. *C.* I 1, 4. *metaque fervidis*
Evitata rotis palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad deos.

Sat. I 5, 75 II 2, 100; 8, 76. *Epp.* II 1, 101. *A. P.* 319.

C. *C.* I 21, 2. *Intonsum, pueri, dicite Cynthium*
Latonamque supremo
Dilectam penitus Iovi.

C. I 35, 30 III 4, 49; 27, 34. *Ep.* 12, 9. *Sat.* I 5, 14; 84; 10, 40 II 1, 67; 4, 65.

D. *C.* II 3, 9. *Quo pinus ingens albaque populus*
Umbram hospitalem consociare amant
Ramis?

C. II 6, 17; 7, 3. *C. S.* 22. 53. *Sat.* I 8, 23 II 6, 63; 7, 53. *Epp.* I 5, 27; 18, 8.

ac, atque. **C.** *Sat.* I 2, 93. *Depugis, nasuta, brevi latere ac pede longo est.*

Sat. I 2, 132.

D. *C.* I 25, 17. *Laeta quod pubes hedera virenti*
Gaudeat pulla magis atque myrto.

et-et. **A.** *C.* III 3, 30. *protinus et graves*
Iras et invisum nepotem,
Troica quem peperit sacerdos,
Marti redonabo.

Ep. 5, 43.

C. *C.* III 17, 1. *Aeli vetusto nobilis ab Lamo,*
Quando et priores hinc Lamias ferunt
Denominatos et nepotum
Per memores genus omne fastos.

et-que. **C.** *C.* I 28, 31. *fors et*
Debita iura vicesque superbae
Te maneant ipsum.

nec. **A.** *C.* I 17, 8. *Nec virides metuunt colubras*
Nec Martiales Haediliae lupos.

Ep. 16, 59.

C. *Ep.* 11, 25. *Unde expedire non amicorum queant*
Libera consilia nec contumeliae graves.

nec, neque- **A.** *C.* I 20, 10. *mea nec Falernae*
nec, neque. *Temperant vites neque Formiani*
Pocula colles.

C. III 27, 15 IV 13, 13. *Ep.* 17, 30. *Sat.* II 6, 83.

C. *Sat.* I 10, 17. *quos neque pulcher*
Hermogenes umquam legit, neque simius iste,
Nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum.

aut. **A.** *C.* III 5, 55. *Tendens Venafranos in agros*
Aut Lacedaemonium Tarentum.

C. IV 6, 9. *Ep.* 5, 27. 6, 13.

C. *Ep.* 16, 35. *Haec et quae poterunt reditus abscindere dulces*
Eamus omnis exsecrata civitas,
Aut pars indocili melior grege.

Sat. I 1, 8. *Epp.* II 1, 202. *A. P.* 443.

D. *C.* III 1, 27. *Nec saevus Arcturi cadentis*
Impetus aut orientis Haedi.

vel. **A.** *C.* IV 9, 21. *non ferox*
Hector vel acer Deiphobus graves
Excepit ictus.

D. *Epp.* I 2, 26. *Vixisset canis immundus vel amica luto sus.*

ve. **A.** *C.* II 5, 19. *Ut pura nocturno renidet*
Luna mari Cnidiusve Gyges.

D. *C.* I 23, 9. *Atqui non ego te tigris ut aspera*
Gaetulusve leo frangere persequor.

Epp. I 18, 74.

aut-aut. **D.** *Ep.* 11, 27. *Sed alius ardor aut puellae candidae*
Aut teretis pueri longam renodantis comam.

vel-vel. **C.** *C.* III 29, 43. *cras vel atra*
Nube polum pater occupato
Vel sole puro.

D. *Epp.* II 1, 44. *Qui vel mense b r e v i vel t o t o est iunior anno.*

sive, seu - **A.** *Sat.* II 2, 88. (seu) *D u r a valetudo inciderit seu t a r d a*
sive, seu. *senectus.*

C. *Sat.* II 1, 38. *Sive quod A p u l a gens seu quod Lucania bellum*
Incuteret v i o l e n t a.

Epp. II 1, 195.

etiam. **C.** *Sat.* I 7, 4. *Persius hic p e r m a g n a negotia dives habebat*
Clazomenis, etiam lites cum Rege m o l e s t a s.

an. **D.** *A. P.* 116. *matrona p o t e n s an s e d u l a nutrix.*

ne-ne. **C.** *Epp.* I 15, 15. *C o l l e c t o s n e bibant imbres puteosne*
p e r e n n e s
Iugis aquae.

nunc-nunc. **A.** *C.* I 1, 21. *nunc v i r i d i membra sub arbuto*
Stratus nunc ad aquae l e n e caput sacrae.

modo-modo. **A.** *Ep.* 2, 23. *Libet iacere modo sub a n t i q u a ilice*
Modo in t e n a c i gramine.

anaphora. **A.** *C.* I 18, 8. *C e n t a u r e a monet cum Lapithis rixa*
super mero
Debellata, monet S i t h o n i i s n o n
l e v i s Euhius.

Epp. I 5, 22; 18, 21 II 1, 81.

B. *C.* II 5, 17. *Dilecta, quantum non Pholoe f u g a x,*
Non Chloris, a l b o s i c u m e r o n i t e n s.

Sat. I 2, 102 II 3, 59.

C. *C.* I 15, 23. *Urguent impavidi te S a l a m i n i u s*
Teucer, te Sthenelus s c i e n s
P u g n a e, sive opus est imperitare equis,
Non auriga piger.

C. IV 5, 33. *Ep.* 17, 65. *Epp.* I 15, 40.

D. *C.* I 13, 1. *Cum tu, Lydia, Telephi*
Cervicem r o s e a m, l a c t e a Telephi
Laudas brachia.

C. I 26, 10. *Sat.* II 8, 68.

Dissolute se excipiunt substantiva:

A. *Epp.* I 7, 25. *reddes*
Forte latus, nigros angusta fronte capillos.

B. *Sat.* II 8, 51. *Erucas virides, inulas ego primus amaras*
Monstravi incoquere.

C. *Epp.* I 18, 7. *Quae se commendat tonsa cute, dentibus atris.*

Tribus solummodo locis bina adjectiva vel participia ad utrumque substantivum referuntur, qui tamen loci ita sunt comparati, ut illam observationem haudquaquam evertant. Primo enim loco

C. III 4, 18. *ut premerer sacra*
Lauroque conlataque myrto

attributum '*sacra*', quod ad posterius quoque membrum pertinere loquendi usu Horatiano comprobatur, non alteri substantivo adjunctum, sed extra substantiva praepositum est, ita ut adjectivum '*sacra*' et participium '*conlata*' non eandem habeant collocationem. — Eodem modo utrumque adjectivum, quod ad utrumque substantivum spectat, extra substantivorum contextum collocatum est

Sat. I 6, 83. *servavit ab omni*
Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi. —

Tertio loco utrumque attributum, adjectivum et participium, substantivis, ad quae pertinet, praemissum est

A. P. 234. *Non ego inornata et dominantia nomina solum*
Verbaque, Pisones, Satyrorum scriptor amabo.

Contra eam, quam supra demonstravimus, legem interpretationes peccant complurium virorum doctorum, Dillenburgeri ad C. I 2, 1, Th. Obbarii ad C. I 5, 6, E. Muelleri, Observ. Horat. part. Dissert. Hal. 1862. p. 29, Hirschfelderi (Zeitschr. f. d. Gymnasialw. XXIII, 353), Coldeveii, Die figura ἀπὸ κοινοῦ bei Catull, Tibull, Properz und Horaz, eorundem annalium vol. XXXI p. 352,

C. I 34, 5. *namque Diespiter,*
Igni corusco nubila dividens
Plerumque, per purum tonantes
Egit equos volucremque currum

cum adjectivum '*volucrem*' nulla sententiae necessitate coacti male referant ad utrumque substantivum.

Haud minus illi observationi repugnat haec explicandi ratio a Mitscherlichio, Orellio, Dillenburgero, Duentzero, Obbario Philolog. vol. VI p. 147 inita, quippe qui

C. S. 5. *Quo Sibyllini monuere versus*
Virgines lectas puerosque castos
Dis quibus septem placuere colles
Dicere carmen

et '*lectas*' et '*castos*' '*ad utrumque sexum pertinere*' existiment. Fatendum quidem est, etiam virgines '*castas*' et pueros '*lectos*' fuisse, ita ut poetae duo illa attributa commutare per sententiam certe licuisset: '*virgines castas puerosque lectos*'. Sed hinc nequaquam efficitur, ut hoc ipso loco utrumque attributum commune substantivis accipiatur necesse sit: immo vero censeo, quodcumque attributum alterius substantivi per sententiam cum altero quoque jungere licet, si statim huic ingeras, sana interpretandi ratione derelicta in temerariam qualiacumque conjungendi libidinem te delabi, ita ut eodem jure ut multis aliis, sic hoc quoque loco novum adjectivum ex utroque membro supplere possis

Epp. I 18, 74. *Ne dominus pueri pulchri caraeve puellae*
Munere te parvo beet;

nam etiam '*puer*' est '*carus*', etiam '*puella*' '*pulchra*'. Eodem fere modo comparati sunt loci:

C. III 27, 15. *Teque nec laevus vetat ire picus*
Nec vaga cornix.

Sat. II 6, 83. *neque ille*
Sepositi ciceris nec longae invidit avenae.

Sed ut haec satis intricata structura revera ferri possit: '*virgines lectas et castas puerosque castos et lectos*': quaenam foret sententia, quae inde efficeretur? — Traditum enim est actis fratrum arvalium et versibus Sibyllinis apud Zosimum Hist. Rom. II 5, et virgines et pueros, ad carmen saeculare rite canendum electos, esse debere ex confarreatis parentibus genitos, senatoriae stirpis, patrimos et matrimos. His condicionibus ad parentes proprie spectantibus hanc unam, quae ipsorum liberorum ad vitam et mores pertinet, haud dubie addere nobis licet, illos certe innocentes et integros ac praecipue castae puraeque mentis esse oportere. Nam quorum vita aliqua impudicitiae macula erat adspersa, ii in chorum, qui sanctos deos, Phoebum et integram Dianam, cantu celebraret, utique adsciti non sunt. cf.

Cat. 34, 1. *Dianae sumus in fide*
Puellae et pueri integri:
Dianam pueri integri
Puellaeque canamus.

Ergo cum vitae castitas haud minus quam tria reliqua in lectione proponeretur, itaque virgo, quae '*lecta*' vocatur, hanc ipsam ob causam etiam '*casta*' putanda est: admodum languidum esse et otiosum manifestum est, attributum '*castas*' ad alterum, quo illud continetur, '*lectas*' ex posteriore membro adicere: '*virgines lectas et castas*'. Neque multo magis placet '*pueros castos et lectos*', ubi primum ponitur vocabulum, quod condicionem legendi adfert, tum quod ipsam lectionem exprimens illud continet. Videmus igitur, tantum abesse, ut sicuti aliis locis:

C. II 8, 3. *Dente si nigro fieres vel uno*
Turpior ungui.

Epp. I 12, 14. *Cum tu inter scabiem tantam et contagia lucri*
Nil parvum sapias et adhuc sublimia cures.

A. P. 86. *Descriptas servare vices operumque colores*

duo illa attributa, quae ἀπὸ κοινοῦ accipiantur, paris sint condicionis

et se invicem suppleant, ut alterum '*castos*' alteri '*lectas*' subjectum sit. Praeterea illic diversi sunt generis attributa ad utrumque substantivum pariter trahenda: hic ejusdem fere, adjectivum et participium adjectivi natura praeditum. Illic cum membra per se intellegi nullo modo possint, necessario adducimur, ut quod desit in utroque membro ex altero mutuemur: hic quisquis integri est et incorrupti judicii fatebitur, nihil, quod aliunde sit petendum, ad utrumque membrum recte intellegendum se desiderare.

Jam unus restat locus, qui ei, quam supra exposuimus, regulae refragari videtur,

Sat. I 6, 113. *Fallacem circum vespertinumque pererro*
Saepe forum.

Duplex est quam hoc de loco instituemus disputatio; ac primum quidem de priore membro '*fallacem circum*', tum de posteriore '*vespertinum forum*' nobis agendum est.

'*Circum*' hoc loco nihil aliud esse ac Circum maximum, quotquot sunt inde a Lambino inter enarratores constat; neque tamen unum et idem omnes sentiunt, quam late pateat vis attributi '*fallacem*'. Duentzerus quidem ad *C.* III 4, 18 hunc locum ita laudat, ut attributum '*fallacem*' et ad '*circum*' et ad '*forum*' eodem modo atque attributum '*vespertinum*' et ad '*forum*' et ad '*circum*' referre videatur. Sed in priore, quam nunc tractandam nobis proposuimus, ratione eo maxime offenditur, quod attributum '*fallacem*' nimis longo intervallo versus integri a posteriore substantivo '*forum*' remotum est; ac reapse exemplis accuratius examinatis invenies, Horatium nusquam, si unum solum exceperis locum

Epp. I 17, 45. *atqui rerum caput hoc erat,*
hic fons,

inter duo substantiva, quibus commune attributum praemissum sit, plura quam unum vocabulum posuisse et quidem proxime post prius substantivum:

C. III 4, 7. *Errare per lucos, amoenae*
Quos et aquae subeunt et aurae.

Sat. I 7, 3. *Omnibus et lippis notum et tonsoribus esse.*

Epp. I 6, 6. *Quid maris extremos Arabas ditantis et Indos?*

Epp. I 6, 8; 17, 15. *A. P.* 42. 227. 234. 249,

ante posterius:

C. II 19, 31. *recedentis trilingui*
Ore pedes tetigitque crura.

Sat. II 3, 130. *Insanum te omnes pueri clamentque puellae.*

C. III 21, 14. *Sat.* II 4, 45. *A. P.* 270;

interposuisse vero plura vocabula iis locis, quibus antecedens attributum prioris substantivi proprium sit, ante posterius substantivum:

C. I 26, 6. *o quae fontibus integris*
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiae coronam.

Sat. I 3, 60. *Cum genus hoc inter vitae versemur, ubi acris*
Invidia atque vigent ubi crimina.

Sat. I 6, 54,

et post prius et ante posterius:

C. I 9, 15. *nec dulces amores*
Sperne puer neque tu choreas.

C. II 7, 23. *quis udo*
Deproperare apio coronas
Curatve myrto?

Epp. I 16, 14.

Itaque adjectivo '*fallacem*' soli adjudicato substantivo '*circum*' prorsus adsentiemur sententiae interpretum Lambini, Heindorfi, Kirchneri, propterea '*circum*' potissimum audire '*fallacem*' qui contendunt, quod ibi astrologi, quos ipsos Cicero de Div. I 19, 37 vocat '*vanos atque fallaces*', sortilegi, interpretes somniorum, circu-

latores, alii id genus hominum, qui plebem superstitiosam nugis fefellerint, frequentes fuerint.

> *Cic. de Div.* I, 58, 132. *Non habeo denique nauci Marsum augurem, non vicanos haruspices, non de circo astrologos, non Isiacos coniectores, non interpretes somniorum.*
>
> *Suet. Aug. 74. Aut acroamata et histriones aut etiam triviales ex circo ludios interponebat ac frequentius aretalogos.*

Iam transeamus ad posterius pertractandum membrum '*vespertinum forum*'; sic enim omnes fere, quotquot nobis innotuerunt, tradunt codices, neque veteres scholiastae Porphyrio et Acro neque recentiores plerique editores ab hac scriptura discedunt. Primum quidem in hanc rem nobis inquirendum est, num vespertini temporis notio ad '*circum*' quoque pertineat; quam rationem revera ita se habere, ex toto sententiarum conexu perspici potest. Inde enim a v. 111 usque ad v. 129 poeta expressam imaginem vitae suae quotidianae nobis repraesentat; atque incipit alteram diei partem enarranda ambulatione adumbrare. Quodsi secuti Horatii descriptionem, singulas diei horas inde a v. 122 accuratius computaverimus, cognoscemus, poetam cum '*domesticus*' post meridiem '*sit otiatus*' (v. 128), seriore tempore pomeridiano, sub vesperum esse spatiatum et quidem '*per circum forumque*' et '*adsistentem divinis*' (v. 114) eorum nugis oblectatum. Hi quidem '*divini*' haud alii sunt intellegendi atque illi fatidici, astrologi, sortilegi, quos ipso in circo artes suas factitasse supra demonstravimus. Quorum igitur negotio Horatius postquam aliquamdiu interfuit, '*domum ad cenam se refert*' (v. 114 sq.), '*deinde dormitum it*' (v. 119). Vides ergo, revera eum etiam '*circum vesperi pererrare*'. Quae cum ita sint, consequens foret, quod Duentzerus ad C. III 4, 18, S. Obbarius Philolog. vol. VI p. 147, Coldeveius (Zeitschr. f. d. Gymnasialw. XXXI, 352) proposuerunt, adjectivum '*vespertinum*' etiam priori membro '*fallacem circum*' figura ἀπὸ κοινοῦ attribui. Sed ut omittam, ita constructum hunc locum unicum fore, quo lex illa ceteroquin constanter servata neglecta esset: ab altera quoque consuetudine Horatiana haud minus

certa ac fixa haec construendi ratio discreparet. Etenim aliquod attributum, utricumque substantivo et ubicumque adjunctum est, si ad utrumque simul refertur, priori proprium addere epitheton ne uno solo quidem loco placuit Flacco, placuit vero compluribus locis sive posteriori sive utrique substantivo; nec mirum, quoniam omnino multo magis posterius quam prius substantivum peculiari attributo ornare studuit.

C. I 1,1. *Maecenas atavis edite regibus,*
O et praesidium et dulce *decus meum.*

C. II 13, 17. *(timet) Miles sagittas et* celerem *fugam Parthi.*

C. II 19, 23. *Rhoetum retorsisti leonis*
Unguibus horribili*que mala.*

C. III 2, 15. *Nec parcit imbellis iuventae*
Poplitibus timido*que tergo.*

C. III 4, 18; 15, 1; 21, 14. *Ep.* 6, 5.

C. S. 31. *Nutriant fetus et aquae salubres*
Et Iovis *aurae.*

Sat. I 6, 9. *Ante potestatem Tulli atque* ignobile *regnum.*

C. III 24, 36. *si neque* fervidis
Pars inclusa caloribus
Mundi nec boreae finitimum *latus*
Durataeque solo nives
Mercatorem abigunt.

Epp. II 2, 84. *hic ego* rerum
Fluctibus in mediis et tempestatibus urbis
Verba lyrae motura sonum conectere digner?

C. IV 8, 15. *non* celeres *fugae*
Reiectaeque retrorsum *Hannibalis minae.*

A. P. 369. *consultus* iuris *et actor*
Causarum *mediocris abest virtute diserti*
Messallae.

Nisi quod commune attributum plurali numero appositionis in modum duobus substantivis postposuit, priori proprium non concessit:

Sat. I 4, 65. *Sulcius* acer
Ambulat et Caprius, rauci male cumque libellis,
Magnus uterque timor latronibus.

Sat. I 5, 27. *Huc venturus erat Maecenas* optimus *atque*
Cocceius, missi magnis de rebus uterque
Legati, aversos soliti componere amicos.

Quas supra attulimus causis veteres quidam interpretes adducti videntur, ut '*circum*' non nomen, sed praepositionem intellexerint, quorum in numerum etiam Porphyrionem esse referendum ex illius construendi ratione: '*fallacem vespertinumque forum*' conicias. Haec interpretatio quamvis sine dubio reicienda sit, movet tamen suspicionem, jam illos adjectivum '*vespertinum*' priori membro '*fallacem circum*' *ἀπὸ κοινοῦ* injungere dubitasse.

Quid igitur? Quonam modo efficiemus, ut concinente usu Horatiano fiat illa, quam necessariam hic esse sententiam supra vidimus: Horatium per circum quoque vesperi ambulasse? — Quibus ex angustiis ut feliciter evadamus, hoc peropportune cadit, quod praeter illam vulgatam scripturam '*vespertinum*' alia eademque ex vetustis codicibus oriunda memoriae prodita est — '*vespertinus*'. Hanc enim praebet ab altera manu cod. Bruxellensis 9777 saeculi XI cum subscriptione Mavortiana, quem '*majoris pretii*' esse quam alterum duorum librorum, quos Kellerus et Holderus Bruxellis contulerunt, refert Holderus in praefatione voluminis II editionis p. XI. Eandem scripturam '*vespertinus*' Rob. Stephanum in vetustis codicibus invenisse, scimus ex editione hujus viri docti a. 1544, cujus in extrema parte '*varias ex vetustis codicibus Horatii lectiones*' addidit. Cui laus debetur, quod primus hanc scripturam conjecit, est Lambinus, qui '*putavit aliquando legendum „vespertinus"*', ut laudat locum in com-

mentario ad Ep. 16,51; sed hoc Satirarum loco scripsit in editione a. 1577 '*vespertinumque*'. In ordinem verborum receperunt '*vespertinus*' Chabotius, cujus editio prima prodiit Parisiis 1582, et Bersmannus, qui Horatium edidit Lipsiae 1602.

Omnibus nota et pervulgata est regula, veteres et Latinos et Graecos notiones imprimis temporis, quas nos adverbialiter cum verbo conjungamus, adjectivis expressas adnectere substantivis solere; et Horatianis quidem exemplis, ubi adjectiva tempus significantia nostri adverbii partes susceperunt, accuratius inspectis animadvertes, hic ut etiam apud alios scriptores subjectum id esse, cui adjectivum plerumque, etenim 13 locis adjungatur:

Ep. 16, 51. *Nec vespertinus circumgemit ursus ovile.*
Sat. II 4, 17. *Si vespertinus subito te oppresserit hospes.*
Sat. I 3, 117. *Et qui nocturnus sacra divum legerit.*
Ep. 5, 92.
Ep. 17, 54. *Non saxa nudis surdiora navitis*
Neptunus alto tundit hibernus salo.
Sat. I 7, 26.
C. 1 2, 45. *Serus in caelum redeas, diuque*
Laetus intersis populo Quirini.
C. I 15, 19; 38, 3. *Epp.* II 1, 161,

quibus exemplis addas unum, ubi adjectivum loci pari est condicione,

Sat. I 6, 128. *domesticus otior.*

Imprimis autem scriptura '*vespertinus*' defenditur duobus locis, quibus rationem esse persimilem apparet,

Sat. II 6, 99. *urbis aventes*
Moenia nocturni subrepere.

Epp. I 6, 20. *Gnavus mane forum et vespertinus pete tectum;*

neque ullam in re positam causam intellegere possum, cur Horatius tum nominativos '*nocturni*' et '*vespertinus*' tum accusativum '*vespertinum*' scribere maluerit.

Cum objecto omnino rarissime et duobus solummodo locis scriptor adjectiva temporis conjunxit:

Ep. 15, 7. *Dum pecori lupus et nautis infestus Orion*
Turbarit hibernum mare.

Sat. II 5, 40. *seu pingui tentus omaso*
Furius hibernas cana nive conspuet Alpes,

quorum posteriore loco multo satius aptiusque est, notionem temporis hiberni ad Alpes quam ad Furium poetam referri. Tum animum attende, utroque loco subjectum et Satirarum loco praeterea ablativum suo attributo esse ornatum, cum objectum sine adjectivo '*hibernus*' inornatum foret; et ipsam hanc ob causam poetam aequalitatis studiosum vidisse, ne subjectum attributis abundaret, objectum ullo epitheto careret.

Ut tamen totus hic usus loquendi perspiciatur, eos locos satis frequentes numero 8 addamus, quibus adjectivum temporis cum ablativo, et unum, quo cum accusativo praedicati conexum est:

C. II 5, 19. *Ut pura nocturno renidet*
Luna mari.

C. II 13, 6 IV 1, 37.

Epp. I 19, 10. *non cessavere poetae*
Nocturno certare mero, putere diurno.

A. P. 268. *vos exemplaria Graeca*
Nocturna versate manu, versate diurna.

A. P. 209.

Sat. II 3, 235. *tu pisces hiberno ex aequore verris.*

C. III 8, 22. *Cantaber sera domitus catena.*

Sat. II 7, 32. *iusserit ad se*
Maecenas serum sub lumina prima venire
Convivam.

Ab adverbiis temporis poeta universe abhorruit, ita ut reliquis rarissime, et quidem semel tantum adverbio '*noctu*'

Epp. II 2, 27. *lassus dum noctu stertit,*

semel adverbio comparativi '*serius*'

C. II 3, 26. *Versatur urna serius ocius*
Sors exitura,

saepius tamen '*mane*', et duodecies quidem atque imprimis in Satiris et Epistulis usus sit:

C. IV 5, 38. *dicimus integro*
Sicci mane die.

Sat. I 6, 119. *mihi quod cras*
Surgendum sit mane.

Sat. II 3, 230; 281; 290. *Epp.* I 6, 20; 58; 7, 64; 68; 75; 19, 5 II 1, 103.

Iam persuasum tibi esse spero, etiam hanc, quam modo demonstravimus, consuetudinem haud infirmum adjumentum adferre nominativo '*vespertinus*', adversari accusativo '*vespertinum*'. Denique etiam huic rei aliquid fortasse tribueris, quod magis consentaneum erat, adjectivum '*vespertinus*' cum insequentis verbi '*pererro*' subjecto conjungere, quam ad rationem Horatius omnino propensus est, quam cum remotiore objecto '*forum*', a qua alienus est.

Restat, ut duos, qui forte scripturae propositae '*vespertinus*' obstent, scrupulos ex animo tibi evellam; primum quod ita posterius substantivum '*forum*' attributo nudatur, cum prius '*circum*' hoc additamento praeditum sit.

Sunt quidem praeter hunc 42 dumtaxat loci, ubi prius substantivum proprio attributo instructum est, posterius omnino epitheto caret. Ex his in Carminibus leguntur 17, in Epodis 4, in Satiris 11, in Epistulis 10; 31 locis proprium attributum prius substantivum antecedit, 11 sequitur. Probe tamen tenendum est, ubique fere, ut hoc quoque loco, prioris substantivi attributo respondere alias enuntiati partes posteriori inditas. Atque praecedens prius substantivum epitheton in altero membro compensatur quodammodo posteriori substantivo aliis vocabulis aut *ἀπὸ κοινοῦ* praepositis his 8 locis:

C. III 11, 6. *Divitum mensis et amica templis.*

C. II 17, 15. *sic potenti*
Iustitiae placitumque Parcis.

C. I 9, 15 II 7, 23.

Sat. I 3, 60. *ubi acris*
Invidia atque vigent ubi crimina.

Sat. II 3, 242. *Illud idem in rapidum flumen iaceretve cloacam.*

Epp. I 1, 64. *Et maribus Curiis et decantata Camillis.*

Epp. I 16, 14,

aut postpositis his 17 locis:

C. II 14, 7. *(Plutona), qui ter amplum*
Geryonen Tityonque tristi
Compescit unda.

C. I 2, 35 II 11, 5 III 24, 11 IV 9, 19; 51.

Ep. 10, 23. *Libidinosus immolabitur caper*
Et agna Tempestatibus.

Ep. 11, 3. 12, 11. 17, 11.

Sat. I 4, 46. *quod acer spiritus ac vis*
Nec verbis nec rebus inest.

Sat. I 5, 62; 6, 54 II 3, 197.

Epp. I 6, 59. *Differtum transire forum populumque iubebat.*

Epp. I 16, 8. *A. P.* 400,

aut simul et praepositis et postpositis

C. I 26, 7. *apricos necte flores,*
Necte meo Lamiae coronam,
Pimplei dulcis.

Postposito priori substantivo proprio attributo, semper alia enuntiati vocabula posteriori aut item sunt postposita, ut fere fit:

Sat. II 3, 195. *Gaudeat ut populus Priami Priamusque inhumato.*

C. I 35, 18. *Clavos trabales et cuneos manu*
Gestans aëna.

C. I 17, 5 III 11, 19. *C. S.* 66. *Sat.* I 4, 65; 5, 27 II 5, 70. *Epp.* I 7, 5,

aut praeposita

Epp. I 16, 59. *'Iane pater' clare, clare cum dixit 'Apollo',*

aut partim antecedunt partim sequuntur posterius substantivum

Sat. II 2, 11. *seu pila velox*
Molliter austerum studio fallente laborem
Seu te discus agit, pete cedentem aëra disco. —

Raro vero, praeposito priori substantivo proprio attributo, posteriore et epitheto destituto neque ulla alia enuntiati voce circumdato oratio concluditur et proprie quidem uno dumtaxat loco, ubi genetivus praecedit,

Epp. II 2, 206. *caret tibi pectus inani*
Ambitione? caret mortis formidine et ira?

cum reliquis locis alterum substantivum consimile enuntiati membrum subsequatur:

C. III 4, 17. *Ut tuto ab atris corpore viperis*
Dormirem et ursis, ut premerer sacra
Lauroque conlataque myrto.

C. III 24, 59. *Cum periura patris fides*
Consortem socium fallat et hospitem,
Indignoque pecuniam
Heredi properet.

Epp. I 19, 48. *Ludus enim genuit trepidum certamen et iram,*
Ira truces inimicitias et funebre bellum,

aut apodosis adjungatur

Epp. I 18, 45. *quotiensque educet in agros*
Aeoliis onerata plagis iumenta canesque,
Surge et inhumanae senium depone Camenae.

Nusquam autem, postposito priori substantivo proprio attributo, posteriore nude arideque collocato enuntiatum finitur.

Tum invito forsitan animo attributum '*vespertinum*' verbo *ἀπὸ κοινοῦ* '*pererro*' praepositum desideres, quoniam Flaccus verbo ante posterius substantivum *ἀπὸ κοινοῦ* collocato attributum substantivi amat praemittere, ita ut verbum duabus alterius membri partibus circumdetur. Quod poetae studium quamquam negari non potest, tamen non tam late patet, ut certum quoddam argumentum ad sustentandum '*vespertinum*' inde repeti possit. Etenim locorum 108, quibus Horatius verbum *ἀπὸ κοινοῦ* posuit ante posterius substantivum, 67 verbo attributum posterioris substantivi praemisit, quibus ex locis solis Carminibus tribuendi sunt 43, Epodis 3, Satiris 14, Epistulis 7:

C. I 3, 1. *Sic te diva potens Cypri,*
Sic fratres Helenae, lucida sidera,
Ventorum*que* *r e g a t* *pater.*

C. I 3, 30. *macies et* nova febrium
Terris *i n c u b u i t* *cohors.*

C. I 7, 11; 9, 12; 17, 12; 19, 2; 20, 7; 27, 22; 35, 12 II 6, 22; 16, 10; 34; 20, 19 III 1, 43; 4, 24; 27; 21, 23 IV 15, 14; 15. *Ep.* 12, 5; 8. 17, 36. *Sat.* I 2, 117; 9, 31 II 2, 22; 3, 154; 4, 28; 6, 64. *Epp.* I 12, 20. *A. P.* 18. 227. 410. —

C. I 13, 1. *Cum tu, Lydia, Telephi*
Cervicem roseam, lactea Telephi
L a u d a s *brachia.*

C. I 1, 16; 20, 10 II 6, 11; 17; 13 22; 40; 19, 11 III 2, 24; 6, 35; 11, 40; 17, 8; 28, 14; 29, 7 IV 6, 16; 14, 36. *C. S.* 54. *Sat.* I 3, 81. II 1, 15; 2, 44; 3, 204; 5, 22. *Epp.* I 10, 33 II 1, 7. —

Sat. II 6, 83. *neque ille*
Sepositi ciceris nec longae *i n v i d i t* *avenae.* —

C. I 15, 9. *Heu, heu, quantus equis,* quantus *a d e s t* *viris*
Sudor! —

C. I 26, 10. *hunc fidibus novis,*
Hunc Lesbio *s a c r a r e plectro.*

C. I 27, 12. *Sat.* I 5, 64 II 3, 78. *Epp.* I 19, 13. — *C.* I 8, 15 III 25, 2. *C. S.* 68. — *C.* III 2, 5.

13 locis attributum posterioris substantivi verbo postposuit, 4 locis ante, 9 post posterius substantivum sedem illi adsignans:

C. II 12, 13. *Me dulces dominae Musa Licymniae*
Cantus, me voluit d i c e r e lucidum
Fulgentes *oculos et bene mutuis*
Fidum pectus amoribus.

Ep. 5, 87. *Sat.* I 6, 43 II 2, 132. —

C. I 3, 18. *Qui siccis oculis monstra natantia,*
Qui v i d i t mare turbidum *et*
Infames scopulos, Acroceraunia.

C. I 16, 5; 36, 11 IV 5, 33. *Ep.* 7, 11; 13. *Sat.* I 2, 102; 10, 82. *Epp.* I 1, 51.

28 locis posteriori substantivo, quod antegreditur verbum commune, attributum non indidit, quorum solae Satirae praebent 12, Epistulae 8, Carmina 7, Epodi 1; 4 quidem locis commune attributum substantivis praemisit:

Sat. II 3, 130. *Insanum te* omnes *pueri c l a m e n t que puellae.*

Sat. II 4, 45. *C.* II 19, 31. *A. P.* 270.

6, ut hoc loco, posteriori substantivo ullum attributum denegavit, cum prius ornaverit:

C. I 30, 5. Fervidus *tecum puer et* solutis
Gratiae zonis *p r o p e r e n t que Nymphae*
Et parum comis sine te Iuventas
Mercuriusque.

C. II 17, 15. *sic* potenti
Iustitiae p l a c i t u m que Parcis.

Sat. I 3, 60. *ubi* acris
Invidia atque v i g e n t ubi crimina.

Sat. II 3, 242. *Illud idem in* rapidum *flumen* *i a c e r e t v e* *cloacam.*

Epp. I 16, 59; 17, 7.

18 et prius et posterius substantivum inornatum posuit:

C. IV 7, 23. *Non, Torquate, genus, non te facundia, non te* *R e s t i t u e t pietas.*

A. P. 373. — *C.* III 21, 2; 18. *C. S.* 21. *Ep.* 11, 22. *Sat.* I 6, 44; 8, 2 II 3, 175. *Epp.* I 6, 20. *A. P.* 288. —

Sat. I 3, 101. *Unguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro* *P u g n a b a n t armis, quae post fabricaverat usus.*

Sat. II 3, 157; 7, 64. *Epp.* I 2, 63 II 1, 213. —

Sat. II 3, 182. *In cicere atque faba bona tu* *p e r d a s que* *lupinis.* —

Sat. II 6, 33.

Apud Vergilium quidem si hic, quem tractavimus, versus legeretur, tuo jure aegrius ferres, attributum posterioris substantivi verbo *ἀπὸ κοινοῦ* praepositum deleri: nam hic poeta locorum 240, quibus verbum *ἀπὸ κοινοῦ* collocavit ante posterius substantivum, multo plurimis numero 213 verbo attributum substantivi praemisit; 6 tantummodo locis attributum verbo postposuit, 5 ante, uno post substantivum inserens; 21 locis substantivum epitheto destitutum esse sivit.

Quae res cum ita se habeant, duas illas, quae accidere possint, dubitationes de medio removisse easque nihil valere contra argumenta satis certa ac gravia, quibus adducimur, ut scripturam '*vespertinus*' a Flacci manu esse profectam censeamus, demonstrasse mihi videor.

Denique addere mihi liceat, nos optime cogitatione fingere posse, quomodo post duos illos accusativos '*fallacem circum*' pro genuino nominativo '*vespertinus*' novus accusativus '*vespertinum*' librariorum in calamum incidere potuerit, qui cum accusativo '*forum*' conjunctus in editionibus injuste sedem sibi arrogaverit.

II.

Ad utrumque substantivum referendum attributum, cui maxima vis inest in toto sententiarum conexu, ut quam fortissime animis audientium vel legentium infigeret, Horatium ante posterius substantivum collocasse, quam collocationis figuram grammatici vocant *ἀπὸ κοινοῦ*, satis notum est. Ac quantopere id egerit, ut insigne illud attributum quam significantissime indicaret, inde intellegitur, quod epitheton *ἀπὸ κοινοῦ* intellegendum constanter non solum in principio alterius membri, verum etiam in praecipuis versus locis ponebat, qui quidem sunt initium et finis versus, sedes ante et post caesuram primariam. Semel tantum communis genetivus de principe alterius membri sede decessit

C. IV 8, 15. *non celeres fugae*
Reiectaeque retrorsum Hannibalis minae,

quos tamen versus e stilo poetae Venusini haud fluxisse, vel potius fluere nullo pacto potuisse, jam inter omnes viros doctos satis constat. Ejus modi attributa ego quidem apud Horatium (excepto loco modo laudato) re diu multumque pensitata indagavi haec 17, ac quidem 5 genetivos, 10 adjectiva, 1 participium, 1 numerale, quorum attributorum Carmina exhibent 10, Epistulae 6, Satirae 1, Epodi nullum. Atque in duabus omnino rebus *ἀπὸ κοινοῦ* attributi statuendum mihi videtur, primum quidem, si propter sententiam attributum haud magis ad posterius quam ad prius substantivum referatur necesse est, quippe quod nisi conjunctum cum attributo in sententiarum conexu intellegi nullo pacto possit.

C. III 11, 25. *Audiat Lyde scelus atque notas*
Virginum poenas.

C. IV 15, 14. *famaque et imperi*
Porrecta maiestas ad ortus
Solis ab Hesperio cubili.

A. P. 86. *Descriptas servare vices operumque colores.*

C. II 13, 17. *(timet) Miles sagittas et celerem fugam*
Parthi, catenas Parthus et Italum
Robur.

Epp. I 17, 56. *uti mox*
Nulla fides damnis verisque doloribus adsit.

C. I 5, 5. *heu quotiens fidem*
Mutatosque deos flebit.

Alterum ordinem ii efficiunt loci, in quibus intellegi quidem aliquo modo possit prius substantivum quamvis epitheto destitutum, verum attributo, quod quidem praeter unum locum (A. P. 393) non propriam quandam substantivorum eamque perpetuam qualitatem continet, sed gravius quiddam ad ea accuratius definienda et declaranda extrinsecus adfert, tanta insit vis ac pondus, ut relatum ad utrumque substantivum, quocum plane eadem ratione convenit, ad totius loci sententiam recte et penitus perspiciendam plurimum proficiat. Atque quo facilius et certius attributum cum utroque substantivo a legentibus ἀπὸ κοινοῦ conjungi possit: substantiva non modo prorsus eodem jure attributum sibi vindicant, verum etiam ipsa comparia et naturali quadam societate inter se conexa esse solent, ut: '*pavor et spes*' (Epp. I 18, 98), '*nix et grando*' (C. I 2, 1), '*scelus et poenae*' (C. III 11, 25), '*cantor et modulator*' (Sat. I 3, 129), '*custos et satelles*' (Epp. I 1, 16), '*claves et sigilla*' (Epp. I 20, 3), '*tigres et leones*' (A. P. 393).

C. IV 2, 27. *ego apis Matinae*
More modoque
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum, circa nemus uvidique
Tiburis ripas operosa parvus
Carmina fingo.

Epp. I 18, 98. *Num te semper inops agitet vexetque cupido,*
Num pavor et rerum mediocriter
utilium spes.

C. I 2, 1. *Iam satis terris nivis atque dirae*
Grandinis misit Pater.

C. II 6, 21. *Ille te mecum locus et beatae*
Postulant arces.

C. III 11, 25. *Audiat Lyde scelus atque notas*
Virginum poenas.

C. III 11, 39. *socerum et scelestas*
Falle sorores.

Sat. I 3, 129. *Ut quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque*
Optimus est modulator.

Epp. I 1, 16. *Nunc agilis fio et mersor civilibus undis,*
Virtutis verae custos rigidusque satelles.

Epp. I 20, 3. *Odisti claves et grata sigilla pudico.*

A. P. 393. *(Orpheus) Dictus ob hoc lenire tigres rabidosque leones.*

C. II 8, 3. *Dente si nigro fieres vel uno*
Turpior ungui.

Omnem vero modum ac finem in coacervandis attributis, quae ἀπὸ κοινοῦ sint collocata, nuperrime excessisse Coldeveium (Zeitschr. f. d. Gymnasialw. XXXI, 350 sq.), qui haud minus 65 talia attributa Horatio obtrudat, certis argumentis demonstrare posse mihi videor. Cum in aliis rebus tum in ea maxime ille erravit, quod ornantia epitheta et quidem non solum ea, quae pariter cum utroque substantivo conveniunt, e. c.

C. I 31, 15. *me pascunt olivae,*
Me cichorea levesque malvae.

C. IV 14, 1. *Quae cura patrum quaeve Quiritium*
Plenis honorum muneribus tuas,
Auguste, virtutes in aevum
Per titulos memoresque fastos
Aeternet,

verum etiam ea, quae manifesto magis ad posterius quadrant, e. c.

C. III 5, 3. *adiectis Britannis*
Imperio gravibusque Persis.
(cf. *C.* I 2, 22. *Quo graves Persae melius perirent.*)
C. III 12, 12. *Neque pugno neque segni pede victus*

ἀπὸ κοινοῦ sibi sumit. At istius modi epitheta, quippe quae solummodo ornandi et paullo uberius depingendi causa addita, in orationis contextu levioris sint momenti, ita ut utrum ponantur, an omittantur, ad sententiam loci minime intersit, ideoque etiam in versu mediocres plerumque obtineant locos, prorsus esse indigna, quae *ἀπὸ κοινοῦ* accipiantur, ex iis, quae supra exposui, elucere confido, praesertim cum vere *ἀπὸ κοινοῦ* construenda attributa cum illis comparentur. Haec attributa, quae plane necessaria sunt vel gravissima saltem ad sententiam loci recte perspiciendam, cum percommode et ultro fere legentibus occurrant: de illis in priore membro subaudiendis nemo, credo, nisi a Coldeveio perperam monitus omnino cogitabit; atque eo minus, cum posterius potissimum substantivum proprio attributo eoque illi praeposito ornare et amplificare Horatium in deliciis habuisse, 81 locis satis superque comprobatur, quorum sola in Carmina cadunt 42, in Epodos 11, in Satiras 13, in Epistulas 15.

Ante omnia autem — id quod enarratores et imprimis Coldeveius parum curabant — in hujus constructionis ratione ineunda diligenter respiciendum est, quo particularum genere substantiva cohaereant. Atque nisi copulativis particulis substantiva sunt conjuncta, Horatius attributum *ἀπὸ κοινοῦ* fere non collocavit, quarum '*et*' sexies substantiva conectit: *C.* II 6, 21; 13, 17 III 11, 39 IV 15, 14. *Epp.* I 18, 98; 20, 3; '*que*' sexies: *C.* I 5, 5 IV 2, 27. *Epp.* I 1, 16; 17, 56. *A. P.* 86. 393; '*atque*' ter: *C.* I 2, 1 III 11, 25. *Sat.* I 3, 129. At disjunctivis particulis substantiva si cohaerent, perraro atque uno tantum loco *C.* II 8, 3 in conjunctione '*vel*' figura *ἀπὸ κοινοῦ*, quae quidem spectat ad attributa, usus est. Disjunctivi '*aut*' vero propter vim ac naturam, si exceperis tres locos, ubi commune pronomen interrogativum et adjectivum substantivis praemissum est,

C. I 12, 1. *Quem virum aut heroa lyra vel acri*
Tibia sumis celebrare, Clio?
Quem deum?

C. I 24, 1. *Quis desiderio sit pudor aut modus*
Tam cari capitis?

C. I 18, 5. *Quis post vina gravem militiam aut pau-*
periem crepat?

et unum, ubi substantivis particulis '*aut-aut*' disjunctis appositio postposita est, Ep. 6, 5, nusquam ullum attributum, nedum ante posterius substantivum positum ad utrumque referri voluit. Ergo ipsam hanc ob causam Hirschfeldero (Zeitschr. f. d. Gymnasialw. XXIII, 353), quem locum

C. I 31, 6. *non aurum aut ebur Indicum*

inter eos retulisse demiror, qui nisi figura *ἀπὸ κοινοῦ* statuta explicari nequirent, non possum non obloqui. Etiam in reliquis particulis disjunctivis commune attributum substantivis aut praeposuit:

vel. *Epp.* II 2, 149. *Si volnus tibi monstrata radice vel herba*
Non fieret levius.

Epp. II 1, 40.

vel-vel. C. II 11, 13,

aut postposuit:

vel. *Epp.* II 2, 150. *fugeres radice vel herba*
Proficiente nihil curarier.

C. I 7, 4.

ve. *Sat.* II 6, 71. *Sermo oritur, non de villis domibusve alienis,*

aut pone prius collocavit:

vel. C. II 8, 3. *Dente si nigro fieres vel uno*
Turpior ungui.

ve. *Sat.* II 3, 28. *in cor*
Traiecto lateris miseri capitisve dolore.

Epp. I 18, 72. *Non ancilla tuum iecur ulceret ulla puerve.*

Neque magis in particula '*nec*' sive simplici sive geminata attributum *ἀπὸ κοινοῦ* positum Horatio placuit, cum duobus omnino

locis substantivis geminata conjunctione *'neque-nec'* cohaerentibus commune tribueret epitheton, altero loco *C.* III 24, 38 genetivum priori substantivo, altero *Ep.* 7, 12 adjectivum appositionis in modum substantivis postponens.

Cum in reliquis tum maxime geminatis in particulis certas ac definitas leges Horatius sibi constituit ita, ut commune attributum aut substantivis extra particulas praeponeret, ut plerumque fit ac 13 quidem locis:

et-et. *A. P.* 309. *Scribendi recte sapere est et principium et fons.*

C. III 4, 7. *Errare per lucos, amoenae*
Quos et aquae subeunt et aurae.

Sat. I 7, 3. *Omnibus et lippis notum et tonsoribus esse.*

Epp. II 2, 50. *Decisis humilem pennis inopemque paterni*
Et laris et fundi paupertas impulit audax.

A. P. 270. *Sat.* I 6, 92.

que-que. *C.* III 4, 18. *ut premerer sacra*
Lauroque conlataque myrto.

Sat. I 2, 56. *Qui patrium mimae donat fundumque laremque.*

Sat. I 5, 104. *Brundisium longae finis chartaeque viaeque est.*

Sat. I 8, 50. *Epp.* I 19, 34.

vel-vel. *C.* II 11, 13. *Cur non sub alta vel platano vel hac*
Pinu iacentes.

non solum-verum quoque. *Sat.* I 6, 83. *servavit ab omni*
Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi,

aut substantivis postponeret 6 locis:

et-et. *C.* I 14, 13. *Iactes et genus et nomen inutile.*

C. I 1, 1. *Maecenas atavis edite regibus,*
O et praesidium et dulce decus meum.

que-que. *Epp.* II 2, 144. *Sed verae numerosque modosque ediscere vitae.*

neque-nec. *Ep.* 7, 11. *Neque hic lupis mos nec fuit leonibus,*
Numquam nisi in dispar feris.

aut-aut. *Ep.* 6, 5. *Nam qualis aut Molossus aut fulvus Lacon,*
Amica vis pastoribus,
Agam per altas aure sublata nives.

non solum-verum quoque. *Sat.* I 6, 83. *servavit ab omni*
Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi,

aut post prius substantivum collocaret rarius ac 2 quidem locis:

et-et. *C. S.* 31. *Nutriant fetus et aquae salubres*
Et Iovis aurae.

neque-nec. *C.* III 24, 36. *si neque fervidis*
Pars inclusa caloribus
Mundi nec boreae finitimum latus
Durataeque solo nives
Mercatorem abigunt.

Quodcumque autem attributum ita extra particulas expositum substantiva antegreditur, utique ad utrumque traxit, neque ullus extat locus, ubi solum ad prius retulerit; sed si solum hoc substantivum ornare voluit, epitheton aut post priorem particulam et ante substantivum collocavit 33 locis:

et-et. *C.* III 11, 5. *Nec loquax olim neque grata, nunc et*
Divitum mensis et amica templis.

Epp. I 1, 64. *Et maribus Curiis et decantata Camillis.*

C. III 3, 30. *Ep.* 5, 43.

et-que. *C.* I 28, 31. *Fors et*
Debita iura vicesque superbae
Te maneant ipsum.

nec, neque-nec, neque. *C.* I 7, 10. *Me nec tam patiens Lacedaemon*
Nec tam Larisae percussit campus opimae.

C. I 20, 10. *mea nec Falernae*
Temperant vites neque Formiani
Pocula colles.

C. I 6, 5; 16, 9 II 17, 13 III 1, 26; 41; 21, 19; 27, 15 IV 13, 13.

Ep. 16, 3. *Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,*
Minacis aut Etrusca Porsenae manus.

Ep. 17, 30.

Sat. I 1, 38. *cum te neque fervidus aestus*
Demoveat lucro neque hiems, ignis, mare ferrum.

Sat. II 6, 83. *neque ille*
Sepositi ciceris nec longae invidit avenae.

Sat. I 9, 31 II 1, 13; 6, 18.

nunc- *C.* I 1, 21. *nunc viridi membra sub arbuto*
nunc. *Stratus nunc ad aquae lene caput sacrae.*

modo- *Ep.* 2, 23. *Libet iacere modo sub antiqua ilice*
modo. *Modo in tenaci gramine.*

aut-aut. *C.* I 4, 9. *Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto*
Aut flore terrae quem ferunt solutae.

C. I 12, 5; 21, 6.

vel-vel. *C.* III 29, 43. *cras vel atra*
Nube polum pater occupato
Vel sole puro.

Ep. 1, 11.

sive, seu- *C.* III 4, 22. *seu mihi frigidum*
sive, seu. *Praeneste seu Tibur supinum*
Seu liquidae placuere Baiae.

Sat. II 2, 88. *Epp.* I 3, 33 II 1, 195,

vel si prior particula est '*que*', '*ne*', attributo prioris substantivi proprio subjecit 3 locis:

que-et. *Epp.* I 7, 58. *Gaudentem parvisque sodalibus et lare certo*
Et ludis et post decisa negotia Campo.

C. IV 2, 41.

ne-ne. *Epp.* I 15, 15. *Collectosne bibant imbres puteosne perennes;*

aut priori substantivo postposuit 10 locis:

et-et. *Epp.* I 10, 15. *ubi gratior aura*
Leniat et rabiem Canis et momenta Leonis.

et-que. *C.* I 10, 13. *Quin et Atridas duce te superbos*
Ilio dives Priamus relicto
Thessalosque ignes et iniqua Troiae
Castra fefellit.

C. I 28, 7.

que-que. *C. S.* 66.

nec, neque-nec, neque. *C.* III 24, 37. *A. P.* 409.

aut-aut. *Ep.* 11, 27. *Sed alius ardor aut puellae candidae*
Aut teretis pueri longam renodantis comam.

sive, seu- *C.* I 22, 5. *Sive per Syrtes iter aestuosas*
sive, seu. *Sive facturus per inhospitalem (Caucasum).*

Sat. II 2, 11.

ne-ne. *A. P.* 117. *Mercatorne vagus cultorne virentis agelli.*

Ex hoc, quem modo commonstravimus, Horatiano usu loquendi disceptandae sunt duae Bentlei scripturae, qui priore loco

C. I 15, 23. *Urguent impavidi te Salaminius*
Teucer, te Sthenelus sciens
Pugnae

lectionem quandam aetate Lambini Cruquiique vulgatam, quam '*unus modo ex suis isque omnium recentissimus*' codex praebet, '*Teucerque et Sthenelus*' male in ordinem verborum inculcavit. Nam primum notandum est, si missas faciamus particulas '*que-et-que*', '*que-et-et-et*' in enumerandis compluribus membris aequalibus usurpatas, ut *C.* IV 2, 41. *Epp.* I 7, 58, conjunctiones '*que-et*', quibus duo membra inter se respondentia cohaereant, in Carminibus exemplis esse destitutas, Epistularum sane legi 4 locis:

Epp. I 6, 14. *Defixis oculis animoque et corpore torpet.*
A. P. 214. *Sic priscae motumque et luxuriem addidit arti.*
Epp. I 14, 19. *A. P.* 444.

Tum — quod pluris est — secundum illam, quam supra proposuimus, observationem adjectivum '*Salaminius*' etiam Sthenelo

invito attribuendum foret; nam etiamsi priori substantivo '*que*' sit suffixum, attributum praemissum utique ad utrumque nomen trahi, docent exempla modo prolata. Attributum si solum ad prius substantivum est referendum, aut substantivo praepositum particulam '*que*' habet sibi subjectam, ut quos supra laudavimus locis C. IV 2, 41. Epp. I 7, 58; aut substantivo vocula '*que*' instructo postponitur, ut

C. S. 66. *Remque Romanam Latiumque felix*
Alterum in lustrum meliusque semper
Prorogat aevum.

Proinde Horatiani sermonis indoli consentaneum foret aut '*Salaminiusque Teucer et Sthenelus*' aut '*Teucerque Salaminius et Sth.*' — Quare cum nonnullorum manuscriptorum, Parisini γ,*) Turicensis τ, Gemblacensis G, '*Teucer et sthenelus*' propter metricam quandam rationem reiciatur necesse sit: plerique editores post Lambinum quae librorum auctoritate, trium Blandiniorum, Parisini A, archetypi F codicum Parisinorum φ et ψ, Parisini λ, maxime confirmatur scripturam '*Teucer te Sthenelus*' amplexi sunt. Quam elegans quamque accommodata huic loco sit repetitio '*te-te*', sentis, quae eadem tibi occurrit in antecedentibus versibus 21 et 22:

Non Laertiaden, exitium tuae
Genti, non Pylium Nestora respicis?

Hac enim ratione optime illustratur Flacci ars, utpote qua non conjunctim, sed singillatim ac deinceps Nereum Danaorum heroes Paridis ob oculos ponentem faciat, ut ignavi imbellisque adulteri animum vehementer commoveat: '*Nequiquam . . . vitabis . . . Aiacem. Non Laertiaden, . . . non . . Nestora respicis? Urguent . . te . . Teucer, te Sthenelus. Merionen quoque nosces. Ecce furit te reperire atrox Tydides*'. Vides igitur, non modo non esse optandum, quod Bentleius adferat ad commendandam suam scripturam '*Teucerque et Sthenelus*', '*ut uterque simul eum urgere intelligatur*'; verum particulas

*) Notis codicum utor editionis Kelleri et Holderi.

'*que-et*' copulantes duo nomina virorum, qui alias artiore vinculo haud sint conexi, ab hoc loco esse alienas.

Rectissime autem monet Aristarchus Britannicus (quem confer. ad C. I 24, 8), non plurativum '*urguent*', sed singularem numerum verbi hoc loco exspectari, praesertim cum anaphora locum habeat. Amat enim vel maxime poeta Venusinus verbum, quod pertinet ad duo vel plura subjecta singularia sive personas sive res significantia, ponere singulare; cui mori indulget locis, quos quidem collegerim, 223, ita ut praedicatum subjectis praemittat locis 57, priori subjecto addat 62, posteriori 32, subjectis postponat 72. Attamen Bentleium ad Sat. I 6, 131: '*Noster enim pluribus licet Nominativis, modo ultimus sit numero singulari, etiam Verbum eodem numero semper subnectit*' illud '*semper*' haud sane caute edixisse, apparet ex 11 locis, ubi verbum plurativo numero, quem Bentleius quoque agnoscit, singularia subjecta sequitur,

C. II 3, 9. *Quo pinus ingens albaque populus*
Umbram hospitalem consociare amant (ramis)?

C. III 16, 5. *Si non Acrisium virginis abditae*
Custodem pavidum Iuppiter et Venus
Risissent,

ubi Bentleius in ordine verborum quidem exhibet pluralem praedicati, in adnotatione autem praefert singularem.

C. III 4, 53. *Ep.* 17, 42.

Sat. I 5, 40. *Plotius et Varius Sinuessae Vergiliusque*
Occurrunt, animae, quales neque candidiores
Terra tulit.

Sat. I 6, 54. *optimus olim*
Vergilius, post hunc Varius dixere quid essem.

Sat. II 3, 227.

Epp. I 14, 21. *fornix tibi et uncta popina*
Incutiunt urbis desiderium.

Epp. II 1, 163. *Quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferrent.*

Epp. II 1, 5. *A. P.* 374.

His ex locis cum hoc aliquo modo comparari possunt C. III 4, 53. Sat. II 3, 227 et imprimis Sat. I 6, 54. Huc accedunt tres, quibus plurale verbum singularia subjecta antegreditur,

Sat. II 1, 71. *Quin ubi se a vulgo et scaena in secreta remorant*
Virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli.

Sat. II 8, 39. *Invertunt Allifanis vinaria tota*
Vibidius Balatroque.

Epp. II 1, 245.

Denique obiter addere mihi liceat, unum e subjectis si sit plurale, praedicatum semper fere induere numerum ejus subjecti, quod sibi sit proximum, ita ut 20 locis singularem, 39 plurativum numerum exhibeat. Sed

Sat. II 6, 65. *O noctes cenaeque deum, quibus ipse meique*
Ante Larem proprium vescor vernasque procaces
Pasco libatis dapibus

quamvis posterius subjectum plurale sit, prioris tamen numerum verbum sequitur.

Altero loco

Ep. 11, 4. *Amore, qui me praeter omnes expetit*
Mollibus in pueris aut in puellis urere,

Bentleius cum offenderet in geminata praepositione '*in pueris, in puellis*', in adnotatione conjecit '*mollibus aut pueris, aut in puellis urere*'. Hanc scripturam librarios immutasse sibi fingit vir doctissimus, cum '*in priore membro desiderari praepositionem crederent; eam tamen eleganter abesse solere*'. Istum poetarum morem dicendi a librariis male intellectum aliis locis (sicuti

C. III 25, 2. *quae nemora aut quos agor in specus,*

quo loco (ad quem confer. Bentleium) quidam codices minoris pretii et antiquiores editiones ante Cruquium praebent '*quae in nemora*';

Verg. Aen. VI 692. *Quas ego te terras et quanta per aequora vectum*
Accipio,

ubi in cod. Rom. et aliis Pierii extat '*quas ego per terras*') merito esse statuendum etsi ne ego quidem ignoro: hoc tamen loco summus ille criticus nimius in corrigendo fuisse mihi videtur. Namque in illius scriptura poetae Venusini usum loquendi secuti adjectivum '*mollibus*' etiam ad '*puellas*' referre debemus. At hoc epitheton cum ad '*puellas*', ad quas ne Bentleium quidem trahere voluisse verisimile est, hic haud quadret: '*pueris*' apprime aptum est maximeque consentaneum. '*Molles*' enim '*pueri*' sunt delicati et effeminati, quibus natura tenellam speciem ac paene muliebrem venustatem dedit, ut dicit

Lucretius IV 1044. *Sic igitur Veneris qui telis accipit ictus,*
Sive puer membris muliebribus hunc iaculatur
Seu mulier toto iactans e corpore amorem.

Quod eandem habet sententiam substantivum '*mollities*' usurpat poeta de Lycisco puero ejusdem XI. epodi

v. 24. *Nunc gloriantis quamlibet mulierculam*
Vincere mollitie amor Lycisci me tenet,

exemplumque hujus modi '*mollis pueri*' ante oculos ponit

C. II 5, 20 *Cnidium Gygem,*
Quem si puellarum insereres choro,
Mire sagaces falleret hospites
Discrimen obscurum solutis
Crinibus ambiguoque voltu

et *C.* III 20, 11 '*insignem Nearchum*'.

Ceterum quod attinet ad iteratam praepositionem, hoc quidem loco propter disjunctivam conjunctionem non est quod in ea offendamus,

quippe quam, etiamsi copulativis conjunctionibus substantiva cohaerent, nonnumquam apud Flaccum inveniamus, sive diversa sive idem significant nomina. Bentlei igitur secundum judicium geminata praepositio haud minus '*otiosa et elumbis*' videatur necesse est in exemplis, qualia sunt:

Sat. II 6, 16. *Ergo ubi me in montes et in arcem ex urbe removi.*

Epp. I 1, 49. *Quis circum pagos et circum compita pugnax*
Magna coronari contemnat Olympia.

Epp. II 1, 242. *Iudicium subtile videndis artibus illud*
Ad libros et ad haec Musarum dona vocares.

De quibus igitur supra dixi sedes solae sunt, quas attributum commune duobus substantivis duplicibus particulis conjunctis tenere voluit poeta. ἀπὸ κοινοῦ vero nusquam ullum epitheton talibus substantivis indidit; sed quodcumque extat attributum posteriorem inter particulam geminatam et substantivum, non minus quam illud, quod prioris membri eodem loco, utique solum ad sequens substantivum pertinet — quae observatio permultis nititur exemplis numero 48:

et-et. *C.* I 1, 1. *Maecenas atavis edite regibus,*
O et praesidium et dulce decus meum.

Epp. II 1, 137. *Impetrat et pacem et locupletem frugibus annum.*

Epp. I 1, 10. *C.* III 17, 3; 3, 31. *Ep.* 5, 43.

que-que. *Sat.* I 10, 27.

et-que. *C.* I 10, 15.

que-et. *C.* IV 2, 41.

nec, neque-nec, neque. *C.* I 9, 11. *nec cupressi*
Nec veteres agitantur orni.

C. III 12, 12. *Neque pugno neque segni pede victus.*

A. P. 41. *Nec facundia deseret hunc nec lucidus ordo.*

Ep. 5, 67. *Sat.* I 9, 31.
C. III 21, 20 I 20, 11 II 17, 14 III 27, 15.
C. IV 13, 13. *Nec Coae referunt iam tibi purpurae*
Nec cari lapides tempora.
Ep. 17, 31. *Sat.* II 6, 84. *A. P.* 409. *C.* I 7, 11 III 1, 27; 41; 24, 38. *Ep.* 16, 4. *Sat.* II 1, 14.
Sat. II 6, 18. *Nec mala me ambitio perdit nec plumbeus Auster*
Autumnusque gravis, Libitinae quaestus acerbae.

aut-aut. *Ep.* 6, 5. *Nam qualis aut Molossus aut fulvus Lacon,*
Amica vis pastoribus.
Sat. I 4, 26. *Aut ob avaritiam aut misera ambitione laborat.*
Sat. II 3, 204. *Ep.* 11, 28. *C.* I 21, 7.

vel-vel. *Epp.* II 1, 24. *foedera regum*
Vel Gabiis vel cum rigidis aequata Sabinis.
C. II 11, 13. *Epp.* II 1, 44. *Ep.* 1, 12.

sive, seu-sive, seu. *C.* II 14, 11. *sive reges*
Sive inopes erimus coloni.
C. III 6, 30. *Epp.* I 3, 33. *Sat.* II 2, 88. *C.* I 22, 6.

nunc-nunc. *Epp.* II 2, 73. *Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum.*
(*cf. Sat.* II 3, 45. *haec populos, haec magnos formula reges,*
Excepto sapiente, tenet.
Epp. II 2, 125. *Nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur.*
C. III 1, 30 I 1, 21.

modo-modo. *Ep.* 2, 23.

Quapropter reliquis quoque locis, ubi attributum posteriorem inter particulam geminatam et substantivum legitur, quamvis ad

utrumque aeque faciat substantivum, tamen cavebimus, ne cum quibusdam interpretibus illud priori membro obtrudamus, quippe quod epitheto in sententiarum conexu satis parvi momenti facillime careat. Ipse igitur Duentzerus videat, quid lucri faciat ad locos melius intellegendos, cum usus Horatiani nulla ratione habita

C. S. 31. *Nutriant fetus et aquae salubres*
Et Iovis aurae

genetivum '*Iovis*',

C. III 4, 18. *ut premerer sacra*
Lauroque conlataque myrto

participium '*conlata*' prioribus membris injungit. Simillima est

Cat. 64, 223. *Sed primum multas expromam mente querellas,*
Canitiem terra atque infuso pulvere foedans

ratio participii '*infuso*', quod item priori substantivo ingerere dissuadendum est, quoniam Catullus cum satis raro omnino figuram *ἀπὸ κοινοῦ* usurpaverit, tum uno solo loco commune attributum ac quidem pronomen possessivum posteriori substantivo praeposuit

56, 1. *O rem ridiculam, Cato, et iocosam*
Dignamque auribus et tuo cachinno.

III.

C. S. 55. *Iam Scythae responsa petunt superbi*
Nuper et Indi

in referendo attributo '*superbi nuper*' interpretes in diversas abeunt partes; et Orellius quidem ac Dillenburgerus epitheton solis adjudicant Scythis. Sed quam ob causam ita statuant, ne uno quidem verbo demonstrant. Illorum igitur secundum sententiam distinguendum foret:

Iam Scythae responsa petunt superbi
Nuper, et Indi.

At jam vide, quam inaequabilia et inconcinna ista ratione evadant enuntiati membra, quippe qua prius quidem subjectum non solum commune objectum et verbum, sed etiam sequens proprium attributum e duobus constans vocabulis postposita habeat: '*Iam Scythae responsa petunt superbi nuper*'; posterius vero subjectum neque attributo neque ulla alia enuntiati parte circumdatum curtam et claudicantem sententiam finiat: '*et Indi*'. Tale vel simile exemplum ego quidem quamvis dedita perscrutatus opera apud Horatium aequabilitatis membrorum et concinnitatis studiosissimum indagare non potui, neque illos viros doctos suppeditare posse credo. Nam ne solum quidem proprium attributum post prius substantivum usquam collocavit ita, ut posteriore et eo inornato enuntiatum concluderet. Satis raro atque imprimis in Satiris et Epistulis posteriore nomine nude posito haud sane eleganti ratione sententiam terminari passus est, si solae aliae enuntiati partes priori substantivo sunt postpositae ut puta:

C. III 11, 49. *I, pedes quo te rapiunt et aurae,*
Dum favet nox et Venus.

Sat. II 3, 210. *Stultitiane erret, nihilum distabit, an ira.*

Sat. II 5, 6.

Epp. I 6, 27. *Ire tamen restat, Numa quo devenit et Ancus.*

A. P. 408.

At nusquam, quantum ego quidem dispicio, priori substantivo reliquas enuntiati partes una cum proprio attributo postpositas ingessit, cum posterius nude arideque positum agglutinaret. Immo vero sive proprium attributum (I), sive aliae enuntiati partes (II), sive utraque simul (III) prius substantivum excipiunt, hanc sibi imposuit legem in universum religiose observatam, ut aut posteriori quoque substantivo epitheton vel praepositum vel postpositum tribueret e. c.

I. *C.* II 7, 3. *Quis te redonavit Quiritem*
Dis patriis Italoque caelo?

A. P. 321. *Valdius oblectat populum meliusque moratur,*
Quam versus inopes rerum nugaeque canorae.

C. I 2, 15; 18, 5 III 23, 19. *Ep.* 11, 27. *Epp.* I 2, 26; 10, 15. *A. P.* 406.

II. *C.* III 29, 63. *Tutum per Aegaeos tumultus*
Aura feret *geminusque Pollux.*
Ep. 16, 19. *habitandaque fana*
Apris reliquit *et rapacibus lupis.*
Ep. 16, 21. *quocumque per undas*
Notus vocabit *aut protervus Africus.*
Sat. I 8, 22. *quin ossa* legant *herbasque nocentes.*
A. P. 80. *Hunc socci* cepere pedem *grandesque cothurni.*

C. I 10, 3 III 5, 3; 25, 14 IV 4, 63. *Ep.* 2, 7. 5, 9. *Sat.* II 3, 128. *Epp.* I 7, 12. *A. P.* 41. 282.

III. *Epp.* I 18, 8. *Dum vult libertas* dici *mera veraque virtus.*
Epp. II 1, 101. *Hoc paces* habuere *bonae ventique secundi.*

C. II 12, 10. *Epp.* II 2, 118.

Apprime huc facit

C. I 12, 53. *Ille seu Parthos Latio imminentes*
Egerit iusto domitos triumpho,
Sive subiectos Orientis orae
Seras et Indos;

aut alias enuntiati partes posterius substantivum vel antecedentes vel subsequentes faceret e. c.

I. *C.* I 35, 18. *Clavos trabales et cuneos* manu
Gestans aëna.

Epp. I 7, 5. *dum ficus prima calorque*
Dissignatorem decorat lictoribus atris.

C. III 11, 18. *Sat.* II 3, 195,

participia ad utrumque nomen pertinentia:

Sat. I 5, 27. *Huc venturus erat Maecenas optimus atque*
Cocceius, missi magnis de rebus uterque
Legati, aversos soliti componere amicos.

II. *Sat.* I 2, 59. *Fama* malum gravius *quam res* trahit.

Sat. I 4, 71. *Nulla taberna* meos habeat *neque pila* libellos.

Sat. I 6, 44. *Cornua* quod vincat*que tubas.*

Sat. II 6, 73. *agitamus, utrumne*
Divitiis homines *an* sint *virtute* beati.

Sat. II 7, 114. *Iam vino* quaerens, *iam* somno fallere *curam.*

Epp. I 3, 29. *Si patriae* volumus, *si nobis* vivere cari.

Sat. I 3, 127; 8, 19; 9, 22.

Monendum est, Satirarum imprimis propriam esse hanc verborum collocationem, qua communes enuntiati partes in substantiva eaque inornata distribuuntur.

III. *C.* I 17, 5. *Impune tutum per nemus arbutos*
Quaerunt *latentes et thyma* deviae
Olentis uxores mariti.

Sat. II 2, 11. *seu pila velox*
Molliter austerum studio fallente laborem
Seu te *discus* agit.

Sat. II 5, 70,

attributa ad utrumque nomen spectantia:

Sat. I 4, 65. *Sulcius acer*
Ambulat *et Caprius,* rauci male cumque libellis,
Magnus uterque timor latronibus;

aut et proprium attributum et alias enuntiati partes posteriori substantivo adiceret e. c.

I. *C.* I 13, 1. *Cum tu, Lydia, Telephi*
Cervicem roseam, lactea Telephi
Laudas *brachia.*

Sat. II 2, 100. *ego vectigalia magna*
Divitiasque habeo *tribus amplas regibus.*

A. P. 409. *ego nec studium sine divite vena,*
Nec rude quid possit video *ingenium.*

C. I 15, 21; 23, 9; 26, 10; 35, 25 III 2, 23. *Sat.* II 3, 77; 6, 63.

II. *C.* II 9, 15. *nec impubem parentes*
Troilon *aut Phrygiae sorores*
Flevere semper.

C. II 15, 18.

C. IV 14, 35. *Portus* Alexandrea supplex
Et vacuam patefecit *aulam.*

Sat. II 3, 139. *Non Pyladen* ferro violare aususve *sororem*
Electram.

Epp. I 1, 102. *Nec medici* credis *nec curatoris* egere
A praetore dati.

A. P. 289. *Nec virtute* foret *clarisve* potentius *armis,*
Quam lingua, Latium.

C. II 15, 18 IV 6, 29. *Ep.* 10, 5. *Sat.* I 3, 112; 6, 19 II 2, 43; 3, 125. *Epp.* I 11, 25. *A. P.* 223.

III. *C.* I 22, 5. *Sive per Syrtes* iter *aestuosas,*
Sive facturus *per inhospitalem (Caucasum).*

C. S. 53. *Iam mari terraque manus potentes*
Medus *Albanasque* timet *secures.*

Sat. I 5, 75. *Convivas avidos* cenam *servosque timentes*
Tum rapere.

Epp. II 1, 250. *nec sermones* ego mallem
Repentes per humum quam res componere *gestas.*

C. II 6, 17. *Epp.* I 19, 12.

Jam igitur vides — ut, unde profecta est disputatio, eo redeat — eam, quam illi viri docti sibi finxerunt enuntiati structuram:

Iam Scythae responsa petunt superbi
Nuper, | *et Indi.*

prorsus alienam esse ab exquisita Flacci arte. Sed ut etiam magis istorum ratio nobis improbetur, hoc ipso loco accedit, quod abscisum disjunctumque membrum posterius '*et Indi*' exitum non solum enuntiati, verum etiam totius strophae proprieque Adonii efficit, qui versus brevissimus quam arte cum praecedentibus Sapphicis sit conexus, ut eorum appendix et quasi extremus numerus habendus sit, ne illi quidem ignorant. Atque imprimis apud antiquiores poetas Adonium cum postremo versu Sapphico etiamtum in unum coaluisse, inde quoque perspicitur, quod in exilibus Sapphus fragmentis haud minus quam quinquies et in duobus a Catullo stropha Sapphica compositis carminibus XI et LI semel saltem unum idemque vocabulum per postremum versum Sapphicum et Adonium divisum reperitur:

Sapph. fr. 1, 11. πύκνα δινεῦντες πτέρ᾽ ἀπ᾽ ὠράνω αἴθερος διὰ μέσσω.

2, 3. ἰζάνει, καὶ πλασίον ἆδυ φωνεύσας ὐπακούει.

2, 11. ὀππάτεσσι δ᾽ οὐδὲν ὄρημ᾽, ἐπιρρόμβεισι δ᾽ ἄκουαι.

fr. 19. 20.

Cat. 11, 11. *Gallicum Rhenum, horribile aequor ultimosque Britannos.*

Neque non ab Horatio quattuor voces ita sunt diductae:

C. I 2, 19. *Labitur ripa Iove non probante uxorius amnis.*

C. I 25, 11. *Thracio bacchante magis sub interlunia vento.*

C. II 16, 7. *Grosphe, non gemmis neque purpura venale neque auro.*

C. III 27, 59. *Pendulum zona bene te secuta elidere collum,*

et tales quidem, quales alibi, quod ego quidem sciam, nusquam. Nam praepositionem sepositam a verbo suo, cujus simplicis usurpati forma eadem est, ut

C. II 16, 33. *Te greges centum Siculaeque circum-*
Mugiunt vaccae.

A. P. 424. *mirabor, si sciet inter-*
Noscere mendacem verumque beatus amicum.

Epp. II 2, 93

cum illis supra adlatis omni ex parte congruere, hoc certe tibi non persuadebis. Porro etiam elisione versus Adonius extremo Sapphico propius adjunctus est semel a Catullo:

11, 19. *Nullum amans vere, sed identidem omnium*
Ilia rumpens,

bis ab Horatio in conjunctione '*que*':

C. IV 2, 23. *Aureos educit in astra nigroque*
Invidet Orco.

C. S. 47. *Romulae genti date remque prolemque*
Et decus omne.

Sed hae magis externae sunt copulationes: tota continuatione verborum Adonium cum praecedentibus versibus Sapphicis conectere et contexere quantopere studuerint poetae, maxime elucet ex accuratius excussa ratione, quae intercedit inter Adonium et singula orationis

membra vel incisa. Antiquiores enim poetae, Sappho et Catullus, nusquam versum Adonium per se solum efficere membrum voluerunt, sed ubique cum antecedentibus Sapphicis una comprehensione eum copulaverunt, quo plerumque sententia concluditur. Atque etiam apud Horatium longe usitatissimum est, membrum aliquod vel incisum vel etiam minorem verborum complexionem initium capere intra praecedentes versus Sapphicos et concludi exeunte Adonio.

6 solummodo extant loci, qui primo quidem oculorum obtutu ita comparati esse videntur, ut interpretes illi, qui extremam Adonii partem '*et Indi*' per se solam volunt efficere membrum, inde suae sententiae praesidium jure petere possint. Sed speciem tantum aequalitatis prae se ferunt: revera unumquemque eorum aliter ac Carminis Saecularis loci constructionem ab illis propositam se habere nobis persuadebimus. Nam

C. II 16, 7. *Grosphe, non gemmis neque purpura ve-*
nale neque auro

ultimus versus Sapphicus et Adonius communi vocabulo '*venale*' inter se coagmentati quodammodo unum repraesentant versum. — Porro

C. III 14, 23. *Si per invisum mora ianitorem*
Fiet, | *abito.*

imperativum '*abito*' solum et apodosin et exitum Adonii itaque totius strophae summa cum vi atque elegantia esse positum, quis est, quin sentiat? Apposite cum hoc loco conferantur:

C. I 28, 4. *nec quicquam tibi prodest*
Aerias temptasse domos animoque rotundum
Percurrisse polum, morituro.

C. III 19, 5. *Quo Chium pretio cadum*
Mercemur, quis aquam temperet ignibus,
Quo praebente domum et quota
Paelignis caream frigoribus, taces.

Epp. II 1, 64. *Si veteres ita miratur laudatque poetas,*
Ut nihil anteferat, nihil illis comparet : errat.

C. III 6, 5 IV 1 7; 3, 24; 5, 4. *Tib.* II 4, 60.

Quattuor reliquos locos ita constitutos esse videbis, ut, re ad amussim redacta, membrum in fine Adonii nequaquam sepositum et disjunctum putandum sit, sed omnibus locis cum vocabulo, quod in exeunte versu Sapphico postremo sedem habeat, sive attributo sive praepositione, aptissime cohaereat:

C. I 10, 18. *virgaque levem coërces*
Aurea turbam, superis deorum
Gratus et imis.

C. I 12, 53. *Ille seu Parthos Latio imminentes*
Egerit iusto domitos triumpho,
Sive subiectos Orientis orae
Seras et Indos.

C. III 8, 14. *vigiles lucernas*
Perfer in lucem: procul omnis esto
Clamor et ira.

C. III 27, 31. *Nocte sublustri nihil astra praeter*
Vidit et undas.

His expositis jam compertum habemus, illorum editorum constructionem, quippe qua omnes enuntiati partes priori injungantur membro, cum posterius in fine non solum enuntiati, verum etiam versus Adonii jejune et abrupte positum sit, prorsus pugnare cum consuetudine artis Horatianae. Quapropter ejus sollertissimus existimator Bentleius ut aequabilitatem membrorum servaret, loco sic distincto:

Iam Scythae responsa petunt, superbi
Nuper et Indi

attributum solis adsignavit Indis. At quominus Scythis plane abjudicemus, obstat, quod epitheton in priore membro, ante particulam copulativam '*et*' manifesto collocatum est et quod bene conspirat cum Scythis. Ergo cum ita res se habeat, certissima et indubitabilis videtur ratio a Duentzero inita, qua '*superbi nuper*' de utraque gente dictum intellegitur, ideoque nullo versuum loco interpungitur.

Attributo autem ad posterius quoque membrum tracto, id quod propter viciniam ejus facillime perficitur, omnes evanescunt difficultates, cum hac ratione et inaequalitas membrorum et disjunctio alterius in fine Adonii prohibita sit, itaque hic locus proxime accedat ad eum, quem modo iterum laudavimus C. I 12, 53. Neque non comparandus est cum aliis, ubi item posteriori substantivo, quod neque attributo neque alia enuntiati parte circumdatum sententiam terminat, communi attributo, quod tum solum tum cum alia voce et ipsa communi conjunctum prius substantivum sequitur, compensatio quaedam datur:

C. II 20, 21. *Absint inani funere neniae*
Luctusque turpes et querimoniae.

Sat. I 4, 56. *his, ego quae nunc,*
Olim quae scripsit Lucilius, eripias si
Tempora certa modosque.

cf. etiam

Sat. I 8, 44. *ut non testis inultus*
Horruerim voces Furiarum et facta duarum.

C. III 3, 63. *Ducente victrices catervas*
Coniuge me Iovis et sorore.

A. P. 141. *Dic mihi, Musa, virum, captae post tempora Troiae*
Qui mores hominum multorum vidit et urbes.

Hic facere non possum, quin locum quendam breviter attingam

C. I 12, 37. *Regulum et Scauros* animae*que* magnae
Prodigum *Paullum* superante Poeno
Gratus insigni referam Camena |
Fabriciumque.

qua tota stropha tam insolens tamque inaequalis verborum collocatio exhibetur, ut ullo congruo exemplo ex reliquis operibus Horatianis petendo, quantum ego quidem perspicio, confirmari non possit. Namque praeter consuetudinem poetae Venusini paenultimum substantivum

'*Paullum*' non modo proprio attributo praeposito, quod constat ex tribus vocabulis, '*animae magnae prodigum*' (cf. solos duos locos

C. I 30, 5. *Fervidus tecum puer et solutis*
Gratiae zonis properentque Nymphae
Et parum comis sine te Iuventas
Mercuriusque.

Ep. 7, 13. *Furorne caecos an rapit vis acrior*
An culpa?)

sequente ablativo absoluto, qui et ipse solum ad illud pertinet, '*superante Poeno*' instructum; verum etiam omnibus, quae reliquis enuntiati membris communia sunt, vocabulis postpositis: '*gratus insigni referam Camena*' adeo cumulatum est, ut legentes his verbis sententiam terminatam esse opinentur necesse sit. Jam vero praeter exspectationem illepide agglutinatum sequitur novum et postremum objectum '*Fabriciumque*' idque neque epitheto neque ulla alia enuntiati voce cinctum, atque sequitur in versu Adonio, cujus simile exemplum apud Horatium quidem frustra quaeras.

Ceterum Carminis Saecularis loco in fine versus Sapphici et ipsum post verbum '*petunt*' ut attributum '*superbi*' collocaverit poeta mihi adductus videtur quod latissime patet studio vocabula inter se contraria: '*responsa petunt-superbi*' in exitu potissimum versuum componendi, cum illorum adverbiis '*iam-nuper*' item sibi oppositis principia insequentium versuum adsignaverit. cf.

C. I 3, 10. *qui fragilem truci*
Commisit pelago ratem.

C. I 12, 9. *Arte materna rapidos morantem*
Fluminum lapsus celeresque ventos.

C. I 15, 1. *Pastor cum traheret per freta navibus*
Idaeis Helenen perfidus hospitam.

C. III 7, 13. *Ut Proetum mulier perfida credulum*
Falsis impulerit criminibus.

C. I 34, 7. *per purum tonantes*
Egit equos volucremque currum.

C. III 16, 28. *Magnas inter opes inops.*

C. I 34, 12 II 18, 10 III 30, 12 IV 4, 31.

Denique quod attinet ad res Romanas, ante annum, quo Carmen Saeculare conditum est, 737. u. c., quo tempore '*iam responsa petunt*' per legatos i. e. '*edicta*' illa '*Iulia*' (C. IV 15, 22) sibi imponi patiuntur, non magis Scythas incursionibus in fines Romanorum factis quam Indos aperte contra Romanos et Octavianum potissimum congressos epitheto '*superbi*' dignos se praestitisse, poetae illorum temporum aequales satis superque comprobant:

C. II 11, 1. *Quid bellicosus Cantaber et Scythes,*
Hirpine Quinti, cogitet Hadria
Divisus obiecto, remittas
Quaerere.

C. III 8, 23. *Iam Scythae laxo meditantur arcu*
Cedere campis.

C. IV 5, 25. *Quis Parthum paveat, quis gelidum Scythen?*

C. I 12, 53. *Ille seu Parthos Latio imminentes*
Egerit iusto domitos triumpho,
Sive subiectos Orientis orae
Seras et Indos.

Verg. *G.* II 170. *maxume Caesar,*
Qui nunc extremis Asiae iam victor in oris
Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.

Aen. VIII 704. *Actius haec cernens arcum intendebat Apollo*
Desuper: omnis eo terrore Aegyptus et Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei.

Prop. II 9, 29. *Quid si longinquos retinerer miles ad Indos?*

Prop. IV 4, 1. *Arma deus Caesar dites meditatur ad Indos,*
Et freta gemmiferi findere classe maris.

Verg. *Aen.* VI 794 VII 605. Prop. III 10, 15 V 3, 10.

IV.

C. IV 4, 25. *Sensere, quid mens* r i t e, *quid indoles*
N u t r i t a faustis sub penetralibus
Posset, quid Augusti paternus
In pueros animus Nerones.

Participium '*nutrita*' quin de utroque substantivo et '*mens*' et '*indoles*', quae respondent inter se ac supplent, accipiendum sit, non dubium videtur; nam non magis Drusi '*indoles*', quae ad nativas animi ac morum virtutes refertur, quam '*mens*', quae ad facultatem cogitandi intellegendique, ad prudentiam et consilium, Augusti '*faustis sub penetralibus rite*' erat '*nutrita*'. Quae cum facile expediantur, aliquanto difficilior ea quaestio est, utri membro adverbium '*rite*' adjudicandum, utrum post '*rite*' cum plerisque editoribus, an post '*mens*' cum Dillenburgero et Nauckio distinguendum sit, qui quidem arbitrantur, '*comma rectius post 'mens' quam post 'rite' collocari, ostendere caesuram*'. Jamdudum interpretes quidam cum scrupulosius quaerere mihi viderentur, quid caesura singulis locis, quam quid sententia et usus poetae in universum postularet: accuratius examinare constitui, num revera tantum caesurae his in rebus merito esset tribuendum. Exponam igitur, quae de ratione intercedente inter distinctionem et diaeresin Alcaicorum hendecasyllaborum exploravi. Antea autem commemorarim, in nonnullis locis quosdam editores non interpungere, veluti

Hic in reducta valle Caniculae
C. I 17, 18. *Vitabis aestus, et fide Teia*
Dices laborantes in uno
Penelopen vitreamque Circen.

Quamquam choreis aptior et iocis
C. II 19, 26. *Ludoque dictus, non sat idoneus*
Pugnae ferebaris.

Irae Thyesten exitio gravi

C. I 16, 18. *Stravere, et altis urbibus ultimae*
Stetere causae.
fugit retro
C. II 11, 6. *Levis iuventas et decor, arida*
Pellente lascivos amores
Canitie facilemque somnum.

Sed sive cum Bentleio et Mitscherlichio comma ponere sive cum Dillenburgero et Kellero omittere vis: hoc certe fatendum est, his locis incisum vel membrum quoddam in diaeresi vel extra diaeresin esse conclusum. Itaque istius modi versus haud neglegendos mihi esse censebam.

In diaeresi enim Alcaicorum hendecasyllaborum 181, extra diaeresin 133 locis distinguitur, ita ut horum plus quam duas partes illi efficiant. Plerumque quidem extra diaeresin distinguitur post arsin prioris trochaei 27 locis, post priorem trochaeum 33, post priorem dactylum 29, quibus posterioribus in sedibus, imprimis post priorem trochaeum saepius plena extat interpunctio. Sed etiam praeterea haud raro interpungitur extra diaeresin: ita post anacrusin 8, post arsin posterioris trochaei 10, post arsin prioris dactyli 2, post arsin posterioris dactyli 13, post priorem syllabam brevem posterioris dactyli 2, et in ea ipsa sede, qua C. IV 4, 25 vulgo distinguitur, post priorem syllabam brevem prioris dactyli 9 hisce locis:

Velox amoenum saepe Lucretilem
C. I 17, 2. *Mutat Lycaeo Faunus, et igneam*
Defendit aestatem capellis.
Mox iuniores quaerit adulteros
C. III 6, 26. *Inter mariti vina, neque eligit*
Cui donet impermissa raptim
Gaudia luminibus remotis.
Post hoc secundis usque laboribus
C. IV 4, 46. *Romana pubes crevit, et impio*
Vastata Poenorum tumultu
Fana deos habuere rectos.

C. I 31, 9 III 4, 42 IV 4, 37; 15, 9.

Longiorem habes respirationem:

nec trepides in usum
C. II 11, 5. *Poscentis aevi pauca: fugit retro*
Levis iuventas et decor.

Milesne Crassi coniuge barbara
C. III 5, 6. *Turpis maritus vixit? et hostium,*
Pro curia inversique mores!
Consenuit socerorum in armis
Sub rege Medo Marsus et Apulus?

Omnino Horatium non dubitasse intra pedem caesuram insequentem, post thesin incisionem concludere, nec vero in ipsa caesura, complura docent exempla aliorum metrorum:

heu quotiens fidem
C. I 5, 6. *Mutatosque deos flebit, et aspera*
Nigris aequora ventis
Emirabitur insolens.

C. III 7, 29. *Prima nocte domum claude, neque in vias*
Sub cantu querulae despice tibiae.

C. IV 5, 31. *Hinc ad vina redit laetus, et alteris*
Te mensis adhibet deum.

C. I 13, 18 III 7, 22; 16, 10 IV 5, 27; 12, 21; 13, 14.

at est bonus, ut melior vir
Sat. I 3, 33. *Non alius quisquam, at tibi amicus, at ingenium ingens*
Inculto latet hoc sub corpore.

Epp. I 5, 16. *Quid non ebrietas dissignat? operta recludit.*
Epp. I 18, 40. *Nec, cum venari volet ille, poemata panges.*
Epp. II 1, 59. *Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte.*
Sat. I 3, 110; 8, 1. *Epp.* I 12, 24; 18, 2; 32 II 2, 132.

Egregie huc pertinet

C. III 10, 5. *Audis, quo strepitu ianua, quo nemus*
Inter pulchra satum tecta remugiat (ventis).

Ex his, quae modo proposuimus, perspicuum est, cum numerus eorum locorum, quibus distinguitur in caesura, eos, quibus extra caesuram, nequaquam multum superet, propter caesuram necesse non esse, comma ponere post '*mens*', sed per eam bene licere, ponere post '*rite*'. Cogimur vero post '*rite*' interpungere hac consuetudine Horatiana.

Anaphora enim repetitum vocabulum, cui plurima vis inest, ut quam maxime augeret poeta atque amplificaret: non solum in principio enuntiati vel membri enuntiati, sed etiam in insigni versus sede multo plurimis locis et quidem 281 posuit (I); reliquisque alterutra saltem de his rationibus atque priore 75 (II), posteriore 52 locis (III), aut rarius figura chiasmi (IV) ad vocabulum accuratius significandum numquam non est usus.

I. Insignis sedes vocabuli in principio membri repetiti est aut initium versus:

C. I 22, 23. *Dulce ridentem Lalagen amabo,*
Dulce loquentem.

C. III 27, 49. *Epp.* I 19, 28.

C. I 3, 25. *Audax omnia perpeti*
Gens humana ruit per vetitum nefas.
Audax Iapeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.

C. II 14, 13; 16, 1 III 2, 17.

C. IV 4, 13. *Qualemve laetis caprea pascuis*
Intenta fulvae matris ab ubere
Iam lacte depulsum leonem
Dente novo peritura vidit:
Videre Raetis bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici.

Sat. II 2, 135. *quocirca vivite fortes*
Fortiaque adversis opponite pectora rebus.

Epp. I 7, 25;

aut ipsam ante caesuram:

Epp. I 16, 61. *Da mihi fallere, da iusto sanctoque videri.*
Epp. II 2, 205. *cetera iam simul isto*
Cum vitio fugere? Caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine et ira?

aut post caesuram:

C. I 17, 13. *Di me tuentur, dis pietas mea*
Et Musa cordi est.

Epp. II 1, 89. *Nostra sed impugnat, nos nostraque lividus odit.*

C. II 19, 17 IV 5, 25. *Sat.* II 3, 184. *A. P.* 421. *Epp.* I 16, 10; 41. *A. P.* 323.

C. III 3, 65. *Ter si resurgat murus aëneus*
Auctore Phoebo, ter pereat meis
Excisus Argivis, ter uxor
Capta virum puerosque ploret.

C. I 1, 29; 35, 5 IV 14, 41.

C. III 5, 20. *('arma) Militibus sine caede' dixit*
'Derepta vidi; vidi ego civium
Retorta tergo brachia libero'.

Sat. I 3, 54. *Haec res et iungit, iunctos et servat amicos.*

C. III 16, 15.

C. II 10, 5. *Auream quisquis mediocritatem*
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula;

aut finis versus:

C. II 3, 25. *Omnes eodem cogimur, omnium*
Versatur urna serius ocius
Sors exitura.

C. II 8, 13. *Ridet hoc, inquam, Venus ipsa, rident*
Simplices Nymphae, ferus et Cupido.

II. Repetitum vocabulum, quod insignem versus locum non tenet, incipit enuntiatum vel membrum enuntiati:

C. II 20, 17. *Me Colchus et, qui dissimulat metum*
Marsae cohortis, Dacus et ultimi
Noscent Geloni, m e peritus
Discet Hiber Rhodanique potor.

C. III 11, 49. *I, pedes quo te rapiunt et aurae,*
Dum favet nox et Venus; i secundo (omine).

Epp. I 14, 43. *O p t a t ephippia bos piger, o p t a t arare caballus.*

Epp. II 1, 138. *C a r m i n e di superi placantur, c a r m i n e Manes.*

C. III 12, 5. Sat. II 5, 77. Epp. I 16, 57; 18, 112.

III. Repetitum vocabulum, quod principium membri non occupat, in insigni versus sede collocatum est et quidem in ejus initio:

C. II 16, 23. *(Cura) O c i o r cervis et agente nimbos*
O c i o r Euro,

post caesuram:

C. I 21, 1. *Dianam tenerae d i c i t e virgines,*
Intonsum, pueri, d i c i t e Cynthium,

in fine versus:

C. I 13, 1. *Cum tu, Lydia, T e l e p h i*
Cervicem roseam, lactea T e l e p h i
Laudas brachia.

C. III 7, 26. Sat. I 6, 45. Epp. I 19, 13.

IV. His exemplis addas pauca, ubi chiasmi in exterioribus membris vis vocabuli iterati admodum intenditur. Cum locis, qui tertio jam ordini adnumerandi erant,

C. I 7, 27. *Nil desperandum T e u c r o duce et auspice T e u c r o.*

Epp. I 1, 25. *A e q u e pauperibus prodest, locupletibus a e q u e,*
A e q u e neglectum pueris senibusque nocebit

conferas hos:

Sat. II 3, 325. *M i l l e puellarum, puerorum m i l l e furores.*

Epp. I 1, 88. *Nil ait esse prius, melius nil caelibe vita.*
cf. *Epp.* I 15, 41. *Nil melius turdo, nil volva pulchrius ampla.*

Quodcumque vero vocabulum repetitum nulla ex his rationibus significantius est indicatum, aut satis leve, ut conjunctio vel praepositio e. c.

C. II 8, 1. *Ulla si iuris tibi peierati*
Poena, Barine, nocuisset umquam,
Dente si nigro fieres vel uno
Turpior ungui.

Sat. I 7, 11. *inter*
Hectora Priamiden animosum atque inter Achillem,

aut certe inferioris est momenti quam aliud enuntiati vocabulum, cui principem sedem illud concedere aequum erat e. c.

C. III 4, 25. *Vestris amicum fontibus et choris*
Non me Philippis versa acies retro,
Devota *non extinxit arbos,*
Nec Sicula Palinurus unda.

Sat. II 3, 69. *Scribe decem a Nerio: non est satis; adde Cicutae*
Nodosi tabulas centum, mille *adde catenas.*

Sat. II 3, 321. *Adde poemata nunc, hoc est,* oleum *adde camino.*

Atqui hoc loco pronomen interrogativum '*quid*' Horatium eo consilio anaphora repetivisse, ut quam gravissime indicaret: Vindelicos cum malo suo sensisse, permultum Drusi mentem, permultum indolem easque bona educatione doctrinaque liberali conformatas, permultum Augusti patrium in Nerones animum efficere posse: quis est, quin intellegat? Ergo cum alterum '*quid*' aeque ac tertium non modo in praecipuo versus loco, sed ne in arsi quidem collocatum sit (de qua re tamen ipso in pronomine '*quid*' saepius occurrente conferas:

C. I 31, 1. *Quid dedicatum poscit Apollinem*
Vates? quid orat, de patera novum
Fundens liquorem?

C. I 35, 34. *Fratrumque. Quid nos dura refugimus*
Aetas? quid intactum nefasti (liquimus?)

C. III 27, 19. *Ep.* 5, 3.

Sat. II 3, 215. *Huic vestem, ut gnatae, paret ancillas,*
paret aurum.

Epp. I 18, 112. *Det vitam, det opes; aequum mi animum*
ipse parabo):

initium saltem ut primi et tertii, sic alterius quoque membri teneat gravissimum anaphorae vocabulum '*quid*' necesse est:

Sensere, quid mens rite, quid indoles
Nutrita faustis sub penetralibus
Posset, quid Augusti paternus
In pueros animus Nerones.

At ne unum quidem investiges exemplum, ubi vocabulum cum vi repetitum si primi et tertii, non alterius membri principem obtineat locum.

Accedit quod pronomen interrogativum et substantivum '*quis, quid*' sive semel positum sive repetitum semper enuntiatum vel membrum enuntiati inchoat, ut his consimilibus locis:

C. IV 14, 8. *Vindelici didicere nuper,*
Quid Marte posses.

C. III 4, 53. *Sed quid Typhoeus et validus Mimas,*
Aut quid minaci Porphyrion statu,
Quid Rhoetus evolsisque truncis
Enceladus iaculator audax
Contra sonantem Palladis aegida
Possent ruentes?

Epp. I 2, 17. *Rursus, quid virtus et quid sapientia*
possit,
Utile proposuit nobis exemplar Ulixem;

nisi quod aut particulae in principio enuntiati fere collocatae aut graviori ipso pronomine voci eique dignae, quae significantissime indicetur, primo enuntiati loco cedit, veluti:

A. P. 409. *ego nec studium sine divite vena,*
Nec rude *quid possit video ingenium.*

C. II 16, 19. patriae *quis exsul*
Se quoque fugit?

C. III 6, 45; 28, 1. *Sat.* II 6, 76. *Epp.* I 18, 19.

Repetitum pronomen '*quis, quid*' quater et quidem in Epistulis initium enuntiati reliquit neque sine causa. Nam

Epp. I 3, 7. *Quis sibi res gestas Augusti scribere sumit?*
Bella *quis et paces longum diffundit in aevum?*

'*bella*' imprimis et paces e rebus gestis Augusti etiam collocatione efferre studuit poeta, cum ab interrogativo '*quis*' versum 7. incepisse satis haberet, a quo alterum '*quis*' haud diversum est: etenim qui omnino '*res gestas Augusti scribere sibi sumit*', idem certe scribit etiam bella ab illo gesta et paces factas.

Altero loco

Epp. I 5, 19. *Fecundi calices quem non fecere disertum,*
Contracta *quem non in paupertate solutum?*

id egit poeta, ut vocabula, quae significatione inter se contraria sunt, '*contracta*' et '*solutum*', etiam loco sibi opposita accuratius significaret. cf.

C. III 3, 72. *Magna modis tenuare parvis.*

C. IV 5, 38. *dicimus integro*
Sicci mane die, dicimus uvidi,
Cum Sol Oceano subest.

C. I 27, 5. *Vino et lucernis Medus acinaces*
Immane quantum discrepat.

C. II 19, 27. *sed idem*
Pacis eras mediusque belli.

Tertio

Epp. I 6, 5. *quid censes munera terrae?*
Quid maris extremos Arabas ditantis et Indos?
Ludicra *quid plausus et amici dona Quiritis?*

ab enarratoribus propter significationem et constructionem vocis '*ludicra*' multum versato ex omnibus virorum doctorum interpretationibus Doederlini Kruegerique maxime auspicato excogitata videtur, quamvis ne ea quidem omnibus numeris mihi probetur. Hi enim '*ludicra*' cum sequente '*plausus*' pro genetivo accepto conjungentes explicant '*nugas, ineptias plausus*', qua significatione '*ludicra*' occurrunt

Epp. I 1, 10. *Nunc itaque et versus et cetera ludicra pono.*

Hac igitur ratione pronomen '*quid*' haud incommode ei voci posthabetur, quae in toto enuntiato maxime excellens indicat, quid ipse Horatius omnes has res, metalla, gemmas, margaritas, plausus, honores, censeat — '*ludicra*'.

Quarto denique loco

Epp. I 11, 1. *Quid tibi visa Chios, Bullati, notaque Lesbos,*
Quid concinna Samos, quid Croesi regia Sardis,
Smyrna *quid et Colophon? maiora minorane fama?*

sive variandi cupiditate ductus sive ter singulorum membrorum in principio pronomen '*quid*' collocasse contentus scriptor quartum '*quid*' subjecto '*Smyrna*' postposuit. cf.

v. 7. *Scis,* Lebedus *quid sit.*

Epp. I 18, 21. *Quem damnosa Venus, quem praeceps alea nudat,*
Gloria *quem supra vires et vestit et unguit,*
Quem tenet argenti sitis importuna famesque,
Quem paupertatis pudor et fuga, dives amicus (odit).

Epp. II 1, 60; 2, 67.

Jam igitur nobis exploratum est, interrogativum et substantivum '*quis, quid*' sive semel sive compluries positum principem enuntiati locum non concessisse nisi singulari voci atque graviori. Itaque demiror, praeeunte Aldo Bentleium, Hauptium, Kirchnerum, Kruegerum

Sat. I 2, 112. *(natura) Quid latura, sibi quid sit dolitura negatum*

commate post participium '*latura*' posito satis leve vocabulum '*sibi*' praetulisse gravissimo '*quid*', praesertim cum mori poetae Venusini prorsus conveniat, a repetito graviterque opposito pronomine '*quid*' utrumque non solum versus, verum etiam enuntiati dimidium incipere:

Quid latura sibi, quid sit dolitura negatum.

Quotiescumque enim idem vocabulum in principio et prioris dimidii versus et posterioris post caesuram primariam collocavit, semper (exceptis duobus solummodo locis) etiam enuntiatum vel membrum enuntiati ab iterato vocabulo orsus est. Ex copia exemplorum 66, qua nititur haec observatio, aliquot tantum, sed omnia 6, quae repetitum '*quis, quid*' exhibent, exscribam:

C. IV 5, 25. *Quis Parthum paveat, quis gelidum Scythen?*

Sat. II 3, 22. *Quid sculptum infabre, quid fusum durius esset.*

Epp. I 11, 1. *Quid tibi visa Chios, Bullati, notaque Lesbos,*
Quid concinna Samos, quid Croesi regia Sardis?

Epp. I 12, 18. *Quid premat obscurum Lunae, quid proferat orbem.*

Epp. I 18, 101. *Quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum.*

Epp. I 18, 106. *Quid sentire putas? quid credis, amice, precari?*

C. I 33, 5. *Insignem tenui fronte Lycorida*
Cyri torret amor, Cyrus in asperam
Declinat Pholoen.

C. II 19, 17. *Tu flectis amnes, tu mare barbarum.*

C. III 9, 24. *Tecum vivere amem, tecum obeam libens.*

C. IV 4, 30. *Est in iuvencis, est in equis patrum (virtus).*

C. I 16, 5; 17, 13; 21, 13; 35, 9; 36, 16; 37, 1 III 1, 20; 4, 45; 19, 9 IV 1, 38; 7, 14; 23; 9, 46; 13, 17; 14, 1.

Ep. 5, 53. *Nunc nunc adeste, nunc in hostiles domos*
Iram atque numen vertite.

Ep. 5, 77; 89.

Sat. II 2, 49. *Tutus erat rhombus tutoque ciconia nido.*

Sat. II 3, 59. *Hic fossa est ingens, hic rupes maxima: serva.*

Sat. I 1, 84; 2, 13 II 3, 43; 175; 177; 184.

Epp. I 16, 10. *Multa fruge pecus, multa dominum*
iuvet umbra.

Epp. II 1, 19. *Te nostris ducibus, te Grais anteferendo.*

A. P. 323. *Grais ingenium, Grais dedit ore rotundo*
Musa loqui.

Epp. I 1, 46; 57; 2, 47; 3, 29; 6, 8; 7, 27; 8, 8; 10, 38; 11, 9; 15, 19; 41; 16, 41; 43; 63; 18, 21 II 1, 17; 31; 66; 82; 89; 193; 2, 93. *A. P.* 288. 313. 314. 345. 421.

Haud tamen reticere velim, in prioribus poetae operibus hanc, quam supra demonstravimus, legem rarius occurrere quam in posterioribus magisque politis, quamvis in his nihilo magis migratam quam in illis: nam in Epodis 3, in Satiris 9 (praeter Sat. I 2, 112), in Carminibus 20, in Epistulis 34 extant exempla.

Duos vero, qui ex hac regula excipiendi esse videntur, locos:

Sat. I 10, 1. *Nempe incomposito dixi pede currere versus*
Lucili. Quis tam Lucili fautor inepte est,
Ut non hoc fateatur?

C. II 13, 17. *(timet) Miles sagittas et celerem fugam*
Parthi, catenas Parthus et Italum
Robur

aliter ac superiores esse comparatos, quis est, quem fugiat? Nam genetivus '*Lucili*' postquam priore loco et in initio versus et in fine enuntiati positus satis significanter indicatus est, altero quod minoris est momenti, gravioribus vocibus, praesertim pronomini interrogativo, '*quis tam*' principio enuntiati cedere par est. Et Carminum loco paullo fusius adscripto:

C. II 13, 14. *navita Bosporum*
Thynus perhorrescit neque ultra
Caeca timetve aliunde fata,
Miles sagittas et celerem fugam
Parthi, catenas Parthus et Italum
Robur

facile apparebit, poetam identidem hic mori suo indulsisse (de quo cf. supra p. 47) quae sibi opposita sunt vocabula artissime componendi '*perhorrescit navita Bosporum*'. Eundem ordinem excipiunt consimilia alterius enuntiati vocabula: '*timet (Romanus) miles sagittas et celerem fugam Parthi*'. Tum inverso ordine sequuntur quae et ipsa haud minus sibi opposita sunt: '*catenas Parthus*' ac quidem '*Italas et Italum robur*', quod adjectivum non solum *ἀπὸ κοινοῦ*, verum etiam in exitu versus significantissime positum respondet aequali attributo eundem versum incipienti '*Parthi*' (de qua collocandi ratione cf. supra p. 57). Par ratio intercedit inter subjecta '*Parthus*' et '*miles*', quorum alterum posteriorem, alterum priorem versum dimidiatum exorditur. Ceterum Flacci consuetudinem, qua respondentia membrorum vocabula modo compari modo inverso ordine, quem grammatici dicunt '*chiasmum*', collocat modo his figuris conjuncte utitur, ut hoc loco, uberius persecutus est Fr. Petersius in programmate gymnasii Monasteriensis a. 1870 p. 19 sq. p. 23 sq. p. 25 sq. Hunc ad ordinem verborum bene facit e. c.

C. I 12, 29. *Defluit saxis agitatus humor,*
Concidunt venti fugiuntque nubes,
Et minax, sic Di voluere, ponto
Unda recumbit.

C. IV 9, 40. *Sed quotiens bonus atque fidus*
Iudex honestum praetulit utili,
Reiecit alto dona nocentium
Voltu, per obstantes catervas
Explicuit sua victor arma.

Ex his omnibus efficitur, non magis Sat. I 2, 112 satis levem dativum '*sibi*' quam C. IV 4, 25 adverbium '*rite*' pronomini '*quid*' in principio membri anteponere esse dissuadendum. Nam illi '*rite*', etsi per se non levioris est momenti, ob id ipsum non tanta vis tribuenda est, ut gravissime repetitum '*quid*' primario loco depellere possit, quod statim sequuntur verba '*faustis sub penetralibus*', quae et ipsa indicant, in domo deorum gratia aucta et fortunata, itaque bene ac prospere mentem et indolem esse excultam. Porro quod Petersius illius programmatis p. 4 contendit, adverbio '*rite*' Augusti laudem a poeta celebrari: monendum est, ejus laudem sequentibus potius contineri verbis '*faustis sub penetralibus*' scilicet '*Augusti*' et vel maxime versibus 27 et 28: '*quid Augusti paternus in pueros animus Nerones*'.

Ergo si Horatius dativum '*sibi*' et adverbium '*rite*' posteriori membro adjungere voluisset, certe non ante, sed post alterum '*quid*' collocasset, ut '*trans finem*' post '*saepe*' anaphora repetitum

C. I 8, 11. *saepe disco,*
Saepe trans finem iaculo nobilis expedito.

Cum vero pronomini praeposuerit, hoc unum restat, ut illas voculas et '*sibi*' et '*rite*' priori membro adsignemus prorsus suffragante usu Horatiano, secundum quem adverbium vel casum aptum ex participio vel verbo finito duobus comparibus membris communi, quod ipsum posteriori additum est, in priore praemittere vel maxime libet. Hac in re haud displicet observare, quantum in concinna verbi et adverbii collocatione recentiora poetae opera ab antiquioribus differant. In Carminibus enim et Epistulis in respondentibus plerumque locis verbum et adverbium (quod solum mihi brevitatis causa dicere liceat) disposita sunt ita, ut in utroque

membro substantiva aut antecedant 9 (I) aut sequantur **7** locis (II); et circumdantur quidem in his perfectioribus operibus verba ἀπὸ κοινοῦ posita in utroque membro substantivo ejusque attributo, qualia exempla in Satiris et Epodis frustra quaeras.

I. *C.* II 6, 21. *Ille te m e c u m locus et beatae*
P o s t u l a n t arces.

Epp. I 1, 62. *Roscia, dic sodes, m e l i o r lex an puerorum e s t*
Nenia.

C. I 27, 11; 21. *Epp.* II 1, 213.

C. III 4, 22. *seu m i h i frigidum*
Praeneste seu Tibur supinum
Seu liquidae p l a c u e r e Baiae.

C. I 30, 5. *Fervidus t e c u m puer et solutis*
Gratiae zonis p r o p e r e n t que Nymphae.

C. II 12, 13. — *C.* II 19, 31.

II. Valde memorabilis propter concinnitatem verborum ordine sibi respondentium est locus

Epp. I 15, 2. *nam mihi Baias*
M u s a supervacuas A n t o n i u s, et tamen illis
Me f a c i t invisum.

Epp. II 1, 250. *nec sermones e g o m a l l e m*
Repentes per humum quam res c o m p o n e r e gestas.

Epp. I 17, 52. *Brundisium c o m e s aut Surrentum d u c t u s amoenum.*

A. P. 382. *Qui nescit v e r s u s, tamen audet f i n g e r e?*

C. IV 1, 29. *Epp.* I 1, 102.

Imprimis congruit cum locis, quos supra tractavimus *C.* IV 4, 25. *Sat.* I 2, 112,

C. IV 6, 29. *Spiritum Phoebus m i h i, Phoebus artem*
Carminis nomenque d e d i t poetae.

cf. Verg. *Aen.* X 825. *Quid tibi nunc, miserande puer, pro laudibus istis,*
Quid pius Aeneas tanta dabit indole dignum?

In Satiris 4 tantum extant loci, ubi et adverbium et verbum substantivis postposita sunt:

Sat. I 3, 112. *Tempora si fastosque velis evolvere mundi.*

Sat. I 6, 19. *populus Laevino mallet honorem*
Quam Decio mandare novo.

Sat. I 10, 63 II 2, 127.

Sollemne est in Satiris et Epodis adverbium priori substantivo postpositum, verbum posteriori praepositum inveniri — 14 locis et ita quidem, ut (exceptis 4 Satirarum locis) illa vocabula ἀπὸ κοινοῦ posita durum et asperum in modum adversis frontibus concurrant, sola intercedente particula et ne ea quidem semper dirempta:

Sat. I 4, 67. *at bene si quis*
Et vivat puris manibus.

Sat. I 9, 51. *Ditior hic aut est quia doctior.*

Sat. II 3, 182. *In cicere atque faba bona tu perdasque lupinis.*

Ep. 7, 13. *Furorne caecos an rapit vis acrior?*

Sat. I 3, 63; 6, 44 II 1, 16; 6, 55; 73. *Ep.* 7, 11.

Sat. II 2, 43. *cum rapula plenus*
Atque acidas mavolt inulas.

Sat. I 3, 124; 129 II 1, 55.

In Carminibus vero et Epistulis si ea ratione vocabula sunt distributa — 7 locis, ista duritia semper evitata est attributo aut prioris substantivi adverbio postposito:

C. I 22, 5. *Sive per Syrtes iter aestuosas*
Sive facturus per inhospitalem (Caucasum),

aut, ut in extremis Satirarum exemplis, posterioris verbo praeposito:

C. III 17, 6. *Qui Formiarum moenia dicitur*
Princeps et innantem Maricae
Litoribus tenuisse Lirim.

C. IV 14, 35. *Portus Alexandrea supplex*
Et vacuam patefecit aulam.

C. S. 53. *Epp.* I 19, 12. — *Epp.* I 14, 4.

cf. etiam haec a Vergilio ἀπὸ κοινοῦ posita participia:

Aen. III 414. *Haec loca vi quondam et vasta convolsa ruina.*

Aen. V 413 VII 751,

aut utroque loco inserto:

C. II 6, 17. *Ver ubi longum tepidasque praebet*
Iuppiter brumas.

Commutaverunt sedes in utroque membro substantivum et attributum:

C. II 4, 15. *Regium certe genus et penates*
Maeret iniquos.

Praeter hunc uno solummodo loco adverbium priori substantivo praepositum, verbum posteriori postpositum est:

Sat. I 3, 76. *Denique, quatenus excidi penitus vitium irae,*
Cetera item nequeunt stultis haerentia.

Idem studium communia vocabula eleganter disponendi poetae secuti sunt, cum substantivum, quod ad duo enuntiata pertinet (I), aut cum duobus saltem verbis (II) vel substantivis (III) ejusdem enuntiati construitur, ipsum in alterum membrum reservabant ejusque attributum jam priori addebant, sive hujus solius sive et ipsum utriusque, ut fere, proprium. Hujus tamen usus exempla magis apud Andinum quam apud Venusinum poetam reperiuntur, quamquam apud hunc ipsum locus occurrit illorum C. IV 4, 25. Sat. I 2, 112 persimilis.

I. *Epp.* I 12, 18. *Quid premat obscurum Lunae, quid proferat orbem.*

cf. infra Verg. *Aen.* VII 464.

Sat. II 7, 70. *quae belua, ruptis*
Cum semel effugit, reddit se prava catenis?

Epp. I 2, 65 II 2, 11.

Verg. *Aen.* XII 641. *Occidit infelix, nostrum ne dedecus Ufens*
Aspiceret.

Prop. III 24, 19. *Tu mea compones et dices 'ossa, Properti,*
Haec tua sunt.'

Prop. III 26, 25. *Nam mea cum recitat, dicit se odisse beatos:*
Carmina tam sancte nulla puella colit.

II. *Aen.* VII 464. *furit intus aquai*
Fumidus atque alte spumis exuberat amnis.

Aen. XI 659. *Quales Threiciae cum flumina Thermodontis*
Pulsant et pictis bellantur Amazones armis.

G. III 303. *cum frigidus olim*
Iam cadit extremoque inrorat aquarius anno.

Aen. IV 590. *G.* IV 419.

III. *Sat.* II 6, 21. *Unde homines operum primos vitaeque labores*
Instituunt.

Verg. *Aen.* X 57. *Totque maris vastaeque exhausta pericula terrae.*

Aen. IX 9. *Sceptra Palatini sedemque petit Euandri.*

G. III 202. *Hinc vel ad Elei metas et maxima campi*
Sudabit spatia.

Cul. 12. *Phoebus erit nostri princeps et carminis auctor.*

In duobus quidem posterioribus generibus Horatius magis inclinat substantivum ejusque attributum, nisi quod conjuncta uni membro attribuit, duobus membris, sive verbis sive nominibus, circumdare ita, ut quod maximam habet vim attributum praecedat, substantivum sequatur. Qualium locorum in Epistulis et ii inveniuntur, quibus substantivum cum verbis, et ii, quibus cum aliis substantivis conjungitur; in Satiris prioris tantum generis, in Carminibus alterius tantum extant exempla:

Sat. II 3, 288. *Iuppiter, i n g e n t e s qui das adimisque d o l o r e s.*

Epp. I 3, 14. *An t r a g i c a desaevit et ampullatur i n a r t e?*

Epp. I 10, 48. *T o r t u m digna sequi potius quam ducere f u n e m.*

Epp. II 1, 64. *Si v e t e r e s ita miratur laudatque p o e t a s.*

Sat. I 8, 20. *Epp.* I 1, 27; 16, 68; 18, 98 II 1, 75; 182.

C. I 23, 3. *non sine v a n o*
Aurarum et siluae m e t u.

Epp. I 1, 44. *Q u a n t o devites animi capitisque l a b o r e.*

C. S. 50. *Epp.* I 18, 109. — *Epp.* II 1, 247.

C. II 17, 3. *Maecenas, m e a r u m*
Grande decus columenque r e r u m.

C. III 29, 11. *Omitte mirari b e a t a e*
Fumum et opes strepitumque R o m a e.

Epp. I 2, 19. *Qui domitor Troiae m u l t o r u m providus urbes*
Et mores h o m i n u m inspexit.

Epp. II 2, 144. — *Epp.* II 2, 130.

Uno tamen ex verbo pendens substantivum poeta saepius posteriori, attributum ejus priori alicui membro adsignavit:

Sat. I 4, 71. *Nulla taberna m e o s habeat neque pila l i b e l l o s.*

Sat. I 6, 86. *Si praeco p a r v a s aut, ut fuit ipse, coactor*
M e r c e d e s sequerer.

Sat. II 4, 58. *Tostis m a r c e n t e m squillis recreabis et Afra*
P o t o r e m cochlea.

Sat. II 2, 121. *Ep.* 12, 7.

Postremo animos attendamus, omnibus fere istius modi locis substantivum et attributum non solum diversis in enuntiati membris, verum etiam respondentibus in versus locis artificiose esse disposita ita, ut tum attributum priorem partem dimidiam versus (ante caesuram primariam), substantivum posteriorem concludat:

Epp. I 12, 18. Verg. *Aen.* XII 641 IX 9. *G.* III 202. *Sat.* II 3, 288. *Epp.* I 1, 27; 3, 14; 16, 68; 18, 98 II 1, 75; 182; 2, 144. *Ep.* 12, 7. *Sat.* I 4, 71;

tum alterum in principio, alterum in fine ejusdem versus:


Epp. I 10, 48. *C. S.* 50. *Epp.* I 1, 44 II 1, 246;

tum utrumque in paenultima sede:

Verg. *G.* III 303 IV 418;

tum in fine duorum insequentium versuum collocatum sit:

Sat. II 7, 70. Verg. *Aen.* VII 464. *C.* I 23, 3 II 17, 3 III 29, 11.



Vita.

Otto Lautensach natus sum Stralesundiae a. d. XII. Kal. Octobr. anni h. s. LI. patre Hermanno, matre Friderica e gente Coppius, quos adhuc esse superstites valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primordiis litterarum imbutus patriae gymnasium adii, quod primum Nizzii, deinde Bormanni vv. ill. auspiciis florebat. Auctumno anni h. s. LXX. maturitatis testimonio instructus, ut studiis philologis operam darem, Lipsiam me contuli et per duos annos doctrina fruitus sum vv. ill. Ahrensii, Brockhausii, G. Curtii, Drobischii, Fritzschii, Langii, Lipsii, Ritschelii, Voigtii, Wenckii, Zarnckii; exercitationes proseminarii philologi a Langio administrati per annum et sex menses frequentavi. Tum Berolinum petii ibique per annum scholis instructus sum vv. ill. E. Curtii, Droysenii, Geppertii, Hauptii, Heydemanni, Kirchhoffii, Muellenhoffii, Steinthalii, Zellerii. Auctumno anni h. s. LXXIII. in almam litterarum universitatem Gryphiswaldensem transmigravi atque hic per annum et sex menses docentes audivi vv. ill. Hannium, Kiesslingium, Schoellium, Schuppium, Susemihlium. Seminarii philologi Hillero, Kiesslingio, Schoellio moderantibus sodalis per prius semestre fui extraordinarius, per posterum ordinarius; nec non exercitationibus geographicis ab Hirschio, philosophicis a Schuppio, didacticis a Kiesslingio, Schuppio, Wilmannsio institutis interesse mihi licuit.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas ac semper habebo.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. E Latinis scriptoribus bene ac rite in vernaculam linguam versis haud exiguus fructus ad conformandam orationem Latinam percipitur.

II. Attributum ad tria substantiva referendum neque post primum neque ante secundum aut tertium ab Horatio collocatur, sed substantivis aut praeponitur aut postponitur aut rarius post secundum tenet locum.

III. Attributum commune duobus substantivis, quae diversorum sunt enuntiatorum vel partium enuntiati, neque post prius neque ante posterius substantivum ab Horatio collocatur, sed aut priori praeponitur aut posteriori postponitur.

IV. Hor. *C.* II 19, 23. *Rhoetum retorsisti leonis*
Unguibus horribilique mala
Bentleius cum rescribendum '*horribilis*' et cum priore ablativo *ἀπὸ κοινοῦ* conjungendum proponit, vim ac rationem hujus figurae non satis cognitam habet.

V. Hor. *Ep.* 5, 19. *Et uncta turpis ova ranae sanguine*
Plumamque nocturnae strigis
genetivum '*ranae*' et cum substantivo '*ova*' et cum '*sanguine*' construendum esse censeo.

VI. Aesch. Sept. 71 scriptura cod. Medicei
μή μοι πόλιν γε πρυμνόθεν πανώλεθρον
ἐκθαμνίσητε δηάλωτον
retinenda est (editt. *πρέμνοθεν*).

VII. Aesch. Sept. 207 cum Ritschelio scribendum esse existimo
πειθαρχία γάρ ἐστι τῆς εὐπραξίας
μήτηρ, τύχης σωτῆρος· ὧδ' ἔχει λόγος
(cod. *γυνὴ σωτῆρος*).

VIII. Aesch. Sept. 328 cum Ritschelio restituas
κορκορυγαὶ δ' ἀν' ἄστυ προτί θ' ὁρκάνᾳ πυργωτᾷ
(cod. Med. *ἀνὰ ἄστυ. ποτιπτόλιν δ' ὁρκάνα πυργῶτις*).